MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80262-11

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

STALLBAUM, GOTTFRIED

TITLE:

DIATRIBE IN PLATONIS POLITICUM

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1840

Master Negative #
91-80262-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88PV
DS3 Stallbaum, Gottfried, 1793-1861.
Diatribe in Platonis Politicum edidit ... et ... publice defensurus Godofredus Stallbaumius ... Lipsiae, sumtibus Fritschii, c1840.
129 p. 21 cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 1/x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/17/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



Centimeter

Inches





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

888
C

THE LIBRARIES

COLUMBIA UNIVERSITY

GENERAL LIBRARY

DIATRIBE

IN

PLATONIS POLITICUM.

COLUMBIA
DEPARTMENT
of
GREEK.
COLLEGE.

EDIDIT

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

ET

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS PERMISSU

IN IURIDICO AUDITORIO

DIE XII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXL.

INDE AB HORA X. ANTEM.

PUBLICE DEFENSURUS

GODOFREDUS STALLBAUMIUS

DOCTOR PHILOS. ET AA. LL. MAG. PROFESSOR
PHILOS. EXTRAORD. DESIGN. SCHOLAE
THOMANAE RECTOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS FRITSCHII.

1840

88PV
DS3

COLUMBIA
DEPARTMENT
of
GREEK.
COLLEGE.

7.0.
12/20.

Politicus Platonis, qui vulgo dicitur, etsi ipso nomine suo facile videtur homines doctos allicere potuisse atque permovere, ut disputationem in eo institutam sedulo excuterent accurateque examinarent, tamen miro quodam fato eam expertus est fortunae iniquitatem, ut non modo neminem invenerit, qui singula verba ac sententias subtilius rimaretur sensusque obscuros atque abditos ex interiore doctrina patefaceret, verum etiam paucissimis eorum satis sit cognitus, qui vel separatim de doctrina Platonis exposuerunt vel omnis philosophiae veteris historiam studiis suis complexi sunt. Nam sive eos consulimus, qui vim et materiam omnis historiae philosophorum scientiae pervestigatione comprehenderunt, sive audimus illos, qui aditum ad sapientiam Platonicam recludere et aperire conati sunt, utrosque reperiemus, ubi ad Platonis de ratione civili et rerumpublicarum gubernatione sententiam explicandam perventum est, fere frequentes esse in librorum, qui sunt de optima civitate ac de optimis legibus, commemoratione et laudatione; Politici vix singulos locos leviter attingere neque de universi operis vi et gravitate ullo modo cogitare *). Atque eadem fere dicenda de iis sunt, qui in id studium suum contulerunt, ut singulis Platonis scriptis interpretationis lucem admoverent. Nam

*) Longum est de iis dicere, qui universe de historia philosophiae scripserunt; ex quibus, quantum nos quidem sciamus, nemo Politicum pro dignitate aestimavit. Sed ne ii quidem, qui de Platonis doctrina separatim exposuerunt, huius libri ita duxerunt rationem uti fieri oportuit. Ita MORGENSTERNIUS in comment. *De Platonis republica*, DE GEERIUS in libro *De politices Platonicae principiis*, TENNEMANNUS in *Systemate Philos. Platon.* rarissime locos eius quosdam commemorant; HEUSDIUS autem in *Institutt. Platonicis* ferme duobus tantum locis eius facit mentionem, et quam parum eum intellexerit, Vol. III. p. 121. satis aperte prodidit. Censet enim eum, etiamsi nomine politicam prudentiam referat, tamen maxime pertinere ad dialecticam; quod ipsum tamen quale sit, minime explicavit.

62239

ut taceam de superioribus temporibus, quibus Platonicorum librorum lectionem atque curam misere iacuisse constat, ne nostra quidem aetate, qua Platonis oratio praestantissimorum criticorum studiis a corruptelarum labe purgata ac pristino fere nitori suo restituta est, quemquam noximus extitisse, qui Politicum ita explicare et illustrare sibi proposuerit, ut, quantum quidem fieri posset, verborum ac sententiarum obscuritas tolleretur singulorumque locorum sententia accuratius declararetur *). Ac si quaeris de doctis commentationibus, quibus fere id agitur, ut omnis disputationis summa exquiratur argumentique tractatio examinetur, quo denique tanquam universi operis formam ac speciem intueri liceat, ne hoc quidem in genere fatendum est desideriis eorum, qui librum cupiant accuratius cognoscere et intelligere, vel mediocriter satisfactum esse. Quanquam enim viri clarissimi, Fr. Schleiermacherus et Fr. Astius, acute nonnulla de his rebus disputarunt**), tamen ea ad perspiciendam iudicandamque universae scriptionis rationem ac virtutem sanequam parum faciunt, siquidem tantummodo in singulis quibusdam locis pervestigandis versantur, aut, si ultra hos terminos excedunt, referuntur potissimum ad illustrandas confirmandasque opiniones, quas homines doctissimi de serie et connexione operum Platonicorum ex ipsius philosophi ratione definienda atque constituenda suscepissent. Itaque vere mihi hoc videor esse dicturus, in tanta,

*) Unam enim Politici editionem singularem fecit superioris saeculi anno septuagesimo quarto I. Fr. Fischerus, qui tamen consulto interpretatione abstinuit, ut ipse Praefat. p. XV. profitetur.

**) V. Schleiermacher. Opp. Plat. German. Vol. II. P. II. p. 251 sqq. edit. 2, Ast. *De Vita et Scriptis Platon.* p. 217. sqq. Memoramus praeterea Fr. Guil. Hertelii *Specimen Commentationis de Platonis Politico:* quod prodiit Halis Saxon. 1837. 8. Quod quanti pretii sit, nolumus decernere. Illud tamen dixisse iuvabit, libri auctorem perperam sibi persuasisse, vim dialogi — sic enim ipse ait — esse negativam, siquidem Plato in condendo hoc opere id potissimum spectaverit, ut viam sibi muniret, qua ad communem omnis philosophiae finem, in specie et imagine perfectae civitatis positum, quam optime perveniretur. Nimirum hoc unum hic posuisse satis erit. Nonnulla de Politico nuper exposuit etiam Car. Fr. Hermannus Histor. Phil. Plat. V. I. p. 499 sqq. Sed et pauciora ea sunt quam velles, neque cum nostra ratione usquequoque concordant, sicuti suo loco ostendemus.

quae nunc esse putatur, studiorum Platonicorum celebritate et frequentia tamen, si verum fateri velimus, sua adhuc luce carere illud Platonici ingenii monumentum, de quo dicere instituimus, necdum pro dignitate sua a quoquam explanatum esse atque examinatum. Quocirca etiamnunc qui librum legant, pauci sunt; qui intelligant, vix ulli; qui eum legitimae interpretationis lumine perfundere studuerit, ne unus quidem. Enimvero cogitantibus nobis atque caussas indagantibus, cur hominum doctorum studia ab hoc opere fere alieniora manserint, paucissimi, neque ii satis semper feliciter, vix singulas quasdam eius partes tractandas illustrandasque susceperint, haec una maxime occurrit ratio, quod quum alii Platonis sermones, inprimisque illi, qui optimam civitatem ob oculos ponunt, insignis cuiusdam suavitatis ac facilitatis gratia splendeant, Politicus non modo in rebus reconditis atque abditis versatur, quae aliquantum a communi intelligentia abductae sunt, verum etiam singularem quandam prae se fert orationis formam atque speciem, ab aliorum sermonum Socraticorum more et consuetudine multum abhorrentem. Nam res ipsae, de quibus disputatur, sunt illae sane magnam certe partem intellectu difficiliores multisque impeditae difficultatibus, ut interdum adeo videri queant cum Platonis doctrina parum concordare; disserendi autem ratio pleramque concisa est, angusta, aculeata, quamquam aliquot locis repente variatur atque a dialectica brevitate et severitate ad liberioris sermonis urbanitatem et elegantiam transgreditur. Quae omnia quantas legentibus obiicere difficultates vel possint vel debeant, neminem fugiet. Quamobrem nobis quidem nec adeo mirum accidit, quod hac nostra aetate, quae omnia dubitationibus labefactare et convellere adorta est, vir in paucis doctus insignique ingenii acumine praeditus, Iosephus Socherus, etiam hunc librum in malam adduxit suspicionem atque in numerum eorum scriptorum retulit, quae nomini Platonis per malam fraudem essent supposita*). Nimirum etsi ille praecipitato iudicio ita statuisse existimandus est, tamen hoc certe pervidit rectissime,

*) V. Socherus *De Scriptis Platon.* p. 270 sqq. qui inter alia p. 276. „ *Wer ist denn also der Verfasser des Politikos, wenn es Platon nicht ist? Für uns ein Mann ohne Namen; aber offenbar ein Mann*

maximas esse et paene insuperabiles difficultates, quibus eius obstructa sit intelligentia, nec quemquam adhuc extitisse, qui eas iusta interpretatione ita removerit, ut de totius libri fide et auctoritate inter omnes constare oporteat. Quocirca operae pretium facturi videmur, si oblata hac scribendi opportunitate partes ab aliis derelictas tandem aliquando suscipiamus, praesertim quum tantam huius operis gravitatem esse sentiamus, ut illud in praestantissimis veteris sapientiae ducamus monumentis, ex cuius interpretatione non modo philosophiae, verum etiam vitae atque studiis Platonis aliquantum lucis possit accedere. Induximus enim animum, singulorum verborum ac sententiarum explicatione in alium locum reiecta, de universo opere ita disputare, ut et sermonis in eo expositi argumentum explanetur, et disputationis ratio atque artificium aperiatur, et vero etiam quodnam Platonis in eo scribendo consilium fuerit, quantum quidem res ipsa permiserit, ostendatur atque demonstretur. Quibus expositis futurum esse speramus, ut quid de eius fide et auctoritate deque rerum in eo explicatarum convenientia cum universa philosophi doctrina iudicari oporteat, facile appareat. Ne vero disputatio nostra in immenso vagetur et prope infinito rerum explicandarum campo, terminis eam his circumscribere consultum duximus, ut nihil nisi ipsius Platonis mentem ac sententiam aperire conemur; de veritate eorum, quae philosophus docuit, nostrum cohibeamus iudicium, nisi sicubi id ad declarandam ac dilucidandam eius rationem necessario expromendum fuerit. Nam censura eorum, quae traduntur, quum peculiarem sibi deposcat operam, tum ita demum recte poterit institui, si antea de universi libri argumento et ratione certo constiterit. Accedit quod vel adhibito hoc delectu tam larga suppetet rerum tractandarum copia et multitudo, quam academicae scriptionis angustiae vix capiant. Neque quaestioni illi sua deerit difficultas, quae certe tanta est, ut legentes rogandi videantur, ne nos temerariae audaciae accusent, qui maius quiddam susceperimus, quam quod vel viribus ingenii nostri vel doctrinae opibus a nobis collectis conveniat.

---

von vielerlei technologischen, naturhistorischen, pragmatischen Kenntnissen; ein Freund der Dialektik, ein freimüthig die Fehler der hellenischen Staatsverwaltungen rügender Mann etc.“

Iam vero ut argumenti tractatio certa via atque ordine procedat nec temere vagetur, iter eius atque cursum sic moderari placuit. Primum referemus summatim quae in Politico disputantur, ut universe saltem cognoscatur, quidnam illud sit, de quo postea disquiri oporteat. Deinde tempora exquirere conabimur, quibus philosophum suspicari liceat ad librum et scribendum et edendum invitatum atque impulsum esse; quo quidem loco etiam de coniunctione ac necessitudine explicandum erit, qua cum Theaeteto, Sophista et Parmenide continetur. Iam inventis illis atque definitis, ubi commonstratum fuerit etiam delectum argumenti in Politico tractati atque arctam illam, quae ei cum tribus reliquis, quos diximus, libris intercedit coniunctionem ad illa planissime congruere, ad dialecticam in hoc sermone expressam accedemus et quid ei proprium sit, quibusque id caussis nitatur, explorare studebimus. Tum principales partes eius disputationis, quae perfectum civitatis rectorem ac moderatorem indagat variumque rerumpublicarum statum et conditionem describit, seorsum excutiemus, idque instituemus sic, ut et argumentum earum examinemus accuratius et quatenus quae in singulis traduntur cum Platonis sententia in aliis scriptis prodita consentiant, si qua opus fuerit, ostendamus, addita subinde etiam fontium demonstratione, ex quibus singula ducta videantur. Absoluta vero harum rerum disputatione, quae singulatim ac per partes consideravimus, rursus in unum coniungemus, quaeremusque, quid universo operi sit propositum quaeque sit eius ars et compositio, ut tandem intelligatur omnes ac singulas eius partes eo artificio tantaque ingenii solertia esse tractatas, ut plane ad unam quandam formam atque speciem scriptoris menti obversatam comparatae sint ac sicuti unius corporis membra aptissime inter ipsas cohaereant. Denique his nonnulla de iis Platonis operibus adiiciemus, quae quum post Politicum scripta videantur, tanquam ex eo prognata sunt, quippe quorum quasi semina in eo abscondita lateant. Quod cur ita faciendum putemus, suo loco admonebitur. Atque his omnibus expositis et illustratis, quid quantumque pretii politico huic Platonis libro statuendum sit, facile intellectum iri iure quodam nostro sperare videmur.

CAP. I.

Politici argumentum exponitur.

Ordiamur igitur a brevi disputationis, quae in Politico habita fingitur, enarratione. Quam si quis in hac quidem commentatione supervacaneam esse existimet, is secum reputet, dialogorum Platonicorum fere eam esse rationem, ut omnem disputationis in iis institutae ordinem progressumque quam diligentissime observasse plurimum ad rectam eorum intelligentiam referat. Id quod in primis etiam de Politico dicendum est, in quo sermone saepenumero audacius ab alia re ad aliam transitur, susceptae quaestionis filum modo praeter expectationem abiicitur, modo ubi minime putes protenus resumitur, denique omnis orationis textura adeo subtilis est et artificiosa, ut nisi eam veluti uno mentis obtutu contuearis, vix animadversurus sis, ubi nodus haereat, quo denique omnia recte continentur. Quocirca age rerum explicatarum summam ita referamus, ut omnis operis descriptio atque compositio tanquam adumbrata quadam imagine expressa conspiciatur. Redit vero totius disputationis argumentum fere huc.

Principio dialogi significatur totam hanc, quae iam de viro civilium rerum scientia praedito suscipiatur, disputationem arctissime cohaerere cum eo sermone, qui habitus in Sophista est. Quam ob rem etiam rursus hic in medium prodeunt Socrates, Theodorus Cyrenaicus, Hospes Eleaticus, Theaetetus, Socrates adolescens; qui quidem omnes iam in Theaeteto et Sophista habuerunt disserendi partes, uno excepto Socrate iuvene, quem tamen pristinis sermonibus tacitum auditorem interfuisse ex locis quibusdam Theaeteti et Sophistae perspicuum est *). Convenerat autem in Sophista cum hospite Eleatico, quem Theodorus Cyrenaicus absoluto eo sermone, qui in Theaeteto habitus fingitur, secum in familiarium societatem adduxerat, ut is exponeret ac doceret, quomodo ab Eleaticis sapientibus sophistae, politici et philosophi distinguerentur, quippe qui vulgo pessimo errore inter ipsos confundi solerent**). Iam posteaquam Eleates subtilissima disputatione in eo dialogo, qui

*) V. Theaet. p. 147. C. Soph. p. 218. B.
**) V. Sophist. p. 216. C. sqq.

Sophistae nomine inscriptus est, sophistam a philosophorum societate amovit, quod quomodo ab eo factum sit, alibi exposuimus, a Socrate ac Theodoro rogatus, ut institutum sermonem persequatur, hoc ea conditione a se factum iri promittit, ut disputatione de philosopho in aliud tempus reiecta, in praesenti sibi liceat viri civilis scientia praediti imaginem informare. Quod ipsum ubi ceteri familiares communi assensione comprobarunt, protenus perficere instituit. Itaque Socrate adolescente delecto interlocutore, rem ita exquirere conatur, ut, sicuti fecit in Sophista, ita in hoc quoque sermone suo atque proprio disserendi genere utatur. Quod quale si, posten dicetur explicatius *).

Instituit autem ab initio rei quaestionem sic, ut vim naturamque viri iusta rerum civilium prudentia ornati exquirere studeat facta perpetua divisione generum, quibus illius tanquam forma ac species subiecta videatur. Itaque prudenter repetit a summo scientiae genere; nam virum civilem sive, ut Graece dicam, politicum, quoniam consentaneum sit alicuius rei scientia praeter ceteros excellere, consequens esse putat, ut si quis eius indolem virtutemque prudenter velit indagare, eum oporteat a summo scientiae genere proficisci idque semper in formas et partes ipsi subiectas dividere, usque dum id inventum fuerit, de quo quaeratur. Quod quidem ita facit, ut notiones inventas semper dividat bifariam, atque ex binis quae inventae sunt partibus rursus eam dispertiatur, cui artis civilis ratio subiecta videtur. Ita igitur ingentem paene vim et multitudinem acutissimarum divisionum eo consilio videmus coacervari, ut ars civilis ab reliquarum artium communione quam diligentissime secernatur, eoque modo viri politici indoles ac natura inveniatur.

Devenitur autem denique post copiosam sane atque longam disputationem eo, ut ars civilis sive regia — nam utrumque nomen usurpatur promiscue — ea existimetur esse, cuius ope coetus aliquis hominum communiter viventium, sive maior ille sit sive minor, alatur atque pascatur. Quamobrem Eleates virum scientia civili ornatum denique eum esse censet, qui hominum pascendorum scientiam artemque teneat, ideoque dignus sit, cui civitatis habenae

*) P. 257—258. C.

committantur. Quam sententiam etiam adolescens, qui collocutoris partes sustinet, haud invitus amplectitur *).

Sed vix ad exitum perducta videtur rei obscurae quaestio, quum Eleates ultro sese dubitare ait de definitionis inventae veritate. Censet enim illam patere latius, quam ut in unum virum civilem conveniat; quamobrem, ea si teneatur, facile evenire posse ait, ut etiam agricolae, pistores, medici, alii plurimi, qui alendorum pascendorumque hominum curam gerant, ad sapientiae illius laudem adspirandum sibi ducant. Quocirca ulterius profligandam censet inchoatam rei pervestigationem. Sed ea res quo cedat felicius, praeter omnem expectationem aliam quaerendi viam ingrediendam arbitratur, quam quae ab ipsis antea inita sit. Vult enim nunc fabulam quandam ad partes vocari, unde accuratius de re dubia et controversa repetatur iudicium **). Itaque missa iam dialectica subtilitate grandem et magnificam narrationem de variis mundi aetatibus variaque eiusdem gubernatione et fortuna exponere instituit: quam quidem philosophus prudenti consilio ita adornavit et composuit, ut ei adhibitis Graecae mythologiae commentis quibusdam vetustatis speciem auctoritatemque conciliare studuerit. Sed de his suo loco exponetur plenius et accuratius; nunc ipsam fabulam cognoscamus. Narrat igitur hospes Eleaticus fere haec.

Quae ab summa antiquitate, inquit, de regno Saturni et Iovis, de terrigenis, de prodigiis ob Atrei et Thyestis immanitatem editis, aliisque id genus rebus similibus, ad posteritatis memoriam prodita sunt vulgoque in fabulis narrantur, ea tantum abest ut temere tanquam falsa et ementita reiicienda sint, ut explicanda videantur ex eo rerum statu, qui priscis aliquando temporibus fuit quemque nunc ita descripsisse iuvabit, ut rei expositio accommodate fiat ad virum regalem, quem quaerimus, informandum. Constat igitur universum hunc mundum in orbem rotari et circumagi. Quod quidem ita fit, ut modo ducatur et gubernetur ab ipso Deo, modo suo ipsius impulsu ac propria agitatione feratur. Accepit enim a rerum omnium auctore animam atque mentem, ut sua sponte

*) P. 258. C—267. C. Brevius haec retulimus, quia facile ex Graecis poterunt cognosci.

**) P. 267. C. —268. D.

possit moveri. Et hoc quidem ita accidit exacto certo quodam temporum orbe, quae divino imperio destinata sunt. Nec tamen eadem tunc manet mundi conversio, quae fuit antea; imo ex quo sibimet ipsi est permissus caretque Dei gubernatione, protenus contrario atque antea cietur motu. Cuius rei caussa posita in eo est, quod solae res divinae semper sibi constant neque obnoxiae sunt mutationis vicissitudini; corpora autem, utpote multo illis deteriora, ista constantia et aequabilitate penitus carent. Iam vero universum hoc, quod coelum et mundum solemus appellare, etsi multis et praeclaris virtutibus a rerum omnium parente ornatum instructumque est, tamen accepit item corpus solidum et contrectabile; unde mutationis atque motus varietate liberum esse non potest. Quamquam movetur utique sic, ut quam minimam ab eius, quod sempiternum est sibique semper constat, agitatione habeat declinationem. Nam nactum illud est circuitum perpetuoque movetur in orbem, qui motus proxime accedit ad summae perfectionis laudem et praestantiam. Sed prout aut ab ipso Deo regitur et gubernatur, aut sua vi agitatur, ita aut in hanc aut in adversam partem circumfertur: qui quidem cursus alter alterum per vices excipere existimandi sunt. Consentaneum est autem, ubi initium capit ea mundi conversio, quae praesenti contraria est, protenus multa nova et admirabilia evenire. Primum enim tunc cuiusque aetas desinit progredi ulterius atque inflexo cursu ad iuventutem et primam originem revertitur, usque dum denique plane exolescit. Deinde facile apparet in illa rerum naturae conditione nec mutuam animantium generationem esse posse, quandoquidem omnia in telluris gremio sponte nasci atque oriri prorsus necesse est. Quorsum plane pertinet illud, quod narratur in fabulis atque summae antiquitatis testimonio confirmatur, vixisse olim genus terrigenarum. Nimirum terrigenae isti fuerunt homines, qui Saturnia aetate viguerunt. Atque hic etiam exponendum illud est, qualis fuerit aevo Saturnio rerum universitatis gubernatio. Curabat igitur tum summus ipse Deus atque regebat universum mundi circuitum; singulae autem eiusdem partes singulis diis sive daemonibus custodiendae moderandaeque traditae erant. Quin etiam singula animantia a daemonibus tanquam divinis quibusdam pastoribus, qui quae opus essent facile possent largiri, regebantur et custodiebantur. Quamobrem nec feritas eorum erat

ulla, nec mutuae pugnae aut dilacerationes reperiebantur. Quae autem de vita hominum narrantur aevo Saturnio omni cura et aegritudine libera et immuni, ea sic videntur intelligi oportere. Pascebat homines ipse Deus, quemadmodum nunc homo, utpote divinior animans, alia animalia pascere solet atque sustentare. Cuius provida et benigna cura quum omnes gauderent, homines nec civitates condebant ullas, neque uxores et liberos habebant, quoniam sine mutua generatione ex telluris gremio nascebantur. Praeterea nec privatas habebant possessiones, quum natura iis omnia largiretur ultro, et iis utebantur commoditatibus, ut, si etiam sapientiae copias collegerunt quantas pro rerum suarum conditione possent maximas, nulla videatur maior cogitari posse vitae beatitas, quam quae iis obtigerit. Et haec quidem de aetate Saturnia. Videamus nunc de altera, quae postea insecuta est.

Quum igitur in fatis esset, ut rerum omnium fieret commutatio, quandoquidem posteaquam unaquaeque anima toties vitae semina ediderat, quoties ipsi fuerat mandatum, genus terrenum iam totum erat absumtum, summus rerum universitatis gubernator, misso aliquando gubernaculi clavo, in suam discessit speculam, observaturus quae mundi futura esset fortuna. Nam quum etiam ceteri dii omnes una cum summo Deo stationes suas deseruissent, convertebat ipsum necessitatis vis et innata cupido. Coepit igitur protenus retro volvi; quod quum fieret, inter omnes animantes ingens strages edita est. Paullatim tamen rursus incedere coepit tranquillius aequabilemque tenere cursum. Nam quum anima atque mente esset praeditus, parentis sui atque aedificatoris praecepta meminerat; ac praeterea tantum pollebat viribus, ut saltem per aliquod tempus cursum suum recte moderaretur. Verum enim vero corporis natura, unde erat compositus, quum per se ab initio fuisset inordinata ac turbulenta, ne tum quidem conquievit. Cuius vis quo vehementius rursus prorumpit, tanto maior mundum invadit divinae rationis institutionisque oblivio, ingruitque cupiditatis ac lubidinis intemperantia. Itaque denique ea exoritur perturbatio, ut universo maximum immineat interitus periculum. Sed eo ipso tempore summus ipse Deus ei rursus adest praesentissimo auxilio suo: qui arrepto denuo gubernaculo morbosas eius partes reficit totumque reddit immortalem et senilis imbecillitatis expertem. Atque hinc exorta ea aetas

est, quam recte iudicamus etiam nunc perdurare, si quidem ex eo inde tempore idem semper permansit mundi circuitus. Initio autem novae huius periodi item multa apparuere monstra; extiterunt enim omnia contraria superioribus. Nam primum quidem animalia, quae parvitate sua paene evanuerant, rursus in maius excreverunt, et quae alia sunt similia. Deinde alia orta est generationis et nutritionis ratio: neque enim fieri tunc poterat, ut animalia in tellure orirentur, sed quemadmodum universo mundo id muneris datum erat, ut quantum posset ipse sese regeret ac gubernaret, ita etiam animantibus hoc necessitatis iniunctum erat, ut semet ipsa procrearent ac nutrirent. Unde quaenam hominum extiterit fortuna et conditio, paucis consideravisse iuvabit. Enimvero hi tum temporis singulari deorum procuratione destituti protenus in summam consilii inopiam maximumque salutis suae discrimen coniecti sunt. Neque enim noverant res ad vitam sustentandam tuendamque necessarias, ut ne ferarum quidem impetum possent defendere. Itaque dii, misericordia commoti, indigentiam et inopiam eorum levare decreverunt, ideoque iis largiti sunt plurima munera ac beneficia, quibus vita eorum vel ornaretur vel tuta et incolumis praestaretur. Nam ignem iis Prometheus attulit; Vulcanus et Minerva cum iis communicarunt artes; alii alia iis bona tribuerunt. Hinc igitur tandem factum est, ut inventa fierent vitae utilissima maximeque necessaria atque etiam conderentur civitates. Namque singularis deorum procuratio, qua adiuti et sustentati homines aevo Saturnio vere pascebantur, quum omnino desiisset, consequens erat, ut iam ipsi suis necessitatibus cogerentur prospicere, totius rerum naturae exemplum sequentes, quae tunc et ipsa singulari deorum administratione carere coepit. Ita enim omnino res se habet, ut vita hominum atque fortuna cum rerum universitatis statu et conditione sit coniunctissima*).

Haec igitur Eleates admirabili orationis copia et ubertate. Quibus expositis, nulla plane subiuncta de rerum narratarum vi et gravitate admonitione, protenus revertitur ad id, de quo antea disputatum erat, hoc est, ad investigandam viri in republica sapientis notionem. Censet autem ex hac narratione perspicue in-

*) V. p. 268. E. — 274. D.

telligi, ingenti quodam errore antea ita factum esse, ut humanus civitatum moderator cum divino Saturnine aetatis pastore temere permutatus sit. Praeterea nec illud satis definitum et expositum monet esse, qua ratione vir civilis universam rempublicam cura sua complectatur. Itaque accuratius explicari vult, quomodo vir ille civilis sive regius, qui quaeratur, non modo a divino pastore differat, verum etiam ab omnibus iis secernendus sit, qui aliquam artis civilis laudem virtutemque sibi vindicare posse videantur*).

Itaque primum quidem ita censet, ut, gregum alendorum cura quoniam a viro civili aliena sit, quippe cui hoc potius conveniat, ut gregem ipsi concreditum curet, pro nomine *ἀγελαιοτροφικῆς*, quo antea usi erant, latioris significationis vocabulum substituendum existimet, quo munus et officium principis atque regis tanquam pars generi subiecta contineatur; tale autem nomen *θεραπευτικῆς* vel *ἀγελαιονομικῆς* esse. Quo errore sublato, quo certius perspiciatur, quomodo verus reipublicae rector porro indagandus et ab aliis omnibus secernendus sit, ante omnia accuratae divisionis seiunctionisque exemplum ob oculos ponendum arbitratur. Exquirit igitur dehinc artis textoriae partem eam, quae in lana texenda versatur, subtilissime, atque initio rursus a summo artium genere facto, tum ipsius vim naturamque describit, tum quaenam sint artes ei cognatae et tanquam adiutrices (*ξυναίτιοι*), quae ab ipsa tanquam operis effectrice distinguendae sint, acuta argumentatione ostendit. Efficitur autem post satis longas orationis ambages denique hoc, munus illius versari in eo, ut ex filis laneis iisque mollioribus et contortioribus per stamen ac subtemen texturae opus perficiatur**).

Ita igitur hic dialecticae divisionis ac seiunctionis exemplum propositum videmus, ad cuius similitudinem deinceps quaestio de civitatis gubernatore scientia civili ornato instituatur. In quo illustrando quoniam Eleates, subtilitatis ille longe studiosissimus, diutius moratus est, ipse longitudinem huius disputationis defendere et excusare studet. Monet enim non esse de nimia longitudine aut brevitate disputationis conquerendum, si

*) P. 274. D — 275. C.
**) P. 275. C — 283. B.

quidem ea id spectetur, ut disserentes vel audientes ad dialecticam facultatem exerceantur, dummodo ad id, quod propositum sit, revera perveniatur. Verum in hac ipsa excusatione longitudinis paene ridicule ita rursus indulget argutae subtilitati, ut vel imprudens fiat copiosior. Nam repetit hoc suum iudicium ex discrimine duplicis, quam statuit, metiendi rationis, siquidem fieri queat, ut unamquamque rem aut per se iudicemus, aut cum aliis rebus contendamus. Adeo multum igitur illi tribuit rationi, quam ab initio statim disputationis magno studio amplexus est*).

Tandem aliquando reditur ad quaestionem de viri regalis indole, virtute ac munere. Quae quidem elegantissime ita peragitur, ut quae modo de lanae textura exposita sunt, ea iam singulari cum arte ad rem praesentem transferantur. Nam sicuti antea ab lanificio artes cognatae atque adiutrices diligenter seiunctae sunt ac segregatae, ita nunc ab arte civili distinguuntur quaecunque ei inservire quidem dicendae sint, nec vero ad ipsam pertineant; et sicuti munus artis textoriae hoc esse demonstratum est, ut fila molliora cum durioribus per stamen atque subtemen in unum coniungantur, ita artem civilem in simillimo negotio versari docetur. Sed de his ordine deinceps exposuisse iuvabit paullo plenius. Est enim postrema haec operis pars ad cognoscendam iudicandamque Platonis sententiam longe gravissima.

Removentur igitur ante omnia ii omnes a viri civilis societate, qui opificia tractent, quippe qui nihil aliud sint nisi administri quidam reipublicae. Idem fit praeconibus, publicorum scribarum natione, sacrificulis, aliis id genus homuncionibus, qui quidem hac occasione acerbo sale perfricantur propterea, quod, quum nihil nisi reipublicae quasdam partes attingant, tamen protenus sibi videantur germani rerumpublicarum rectores extitisse eoque nomine ridicule superbiant. Tum etiam alios esse docetur, qui quum specie sua homines facile deludant, tamen tantummodo germani verique viri civilis imitatores fallacesque praestigiatores iudicandi sint. Denique id agitur, ut isti ipsi a principe vero ac nomine suo digno accurate discernantur**).

*) V. 283. C — 287. C.
**) P. 287. C — 291. C.

Repetitur vero rei iudicium a verae perfectaeque reipublicae natura et ratione. Ad quam aestimandam iudicandamque non illud referre censet Eleates, num unius dominatio an imperium paucorum an democratia in civitate locum habeat, sed num ratio ac sapientia in ipsa valeat. Nam eam demum civitatem veram ac nomine suo dignam esse vult, in qua per omnes partes dominetur sapientia, ideoque vir aliquis perfecta praeditus veri rectique cognitione, hoc est perfectus sapiens, imperii gubernacula teneat. Cuiusmodi civitatem Eleates arbitratur semper optimam extituram, sive secundum leges publicas sive sine legibus administretur, et sive id volentibus civibus fiat sive iisdem invitis. Sunt enim leges, inquit, ortae ex humana imbecillitate, quae tantam sapientiam, quanta ad perfectae reipublicae gubernationem requiritur, non caperet. Neque eae omnibus temporibus vitaeque communis rationibus peraeque accommodatae sunt, ut saepenumero multis magnisque indigeant mutationibus atque emendationibus. Quocirca sponte consequitur multo illis esse superiorem atque praestabiliorem communem quandam atque perennem legem, quae in omni vitae conditione valeat et ad quam rerum publicarum administratio similiter dirigatur, atque in ceteris quoque artibus fieri solet, quae communem aliquam habent normam, ad quam earum exercitatio instituenda est. Eam vero legem communem unus ille sapiens tenet, quem nos civitati praefectum volumus. Quocirca hic nec legum latarum vinculis constringendus, aut potestate universae reipublicae suo iudicio regendae moderandaeque privandus est. Curabit enim ille atque spectabit semper hoc, ut artis vim legibus potiorem civitatis gubernationi adhibeat, qua una re efficitur, ut omnia prudentius, rectius, iustius fiant, quam si ex mutis legum aut institutorum praeceptionibus peragantur. Haec igitur Eleates, ex quibus iam tandem apparet, qualem ille finxerit et informaverit verum germanumque civitatis rectorem. Censet enim illum demum honorifico hoc nomine dignum esse, qui mente rationeque tantum polleat, ut sit tanquam *νόμος ἔμψυχος* universae civitatis, et veluti ipsius rationis, quae per omnes reipublicae partes dominari debeat, vicarius*). Ex quo intelligi debet perfectum

*) P. 291. C — 297. B.

sapientem in vitae ipsius actione constitutum esse eundem perfectum virum civilem.

Iam vero ab sapienti illo secernuntur ii, qui, quum vulgo civilis prudentiae laude florerent, tamen philosophi iudicio nihil sunt aliud quam vani quidam et inepti illius imitatores. Quorum quidem dignitas ut ex vero aestimari queat, prudenter ostenditur, quantum eae civitates, quibus homines revera utantur, ab optimae illius virtute et praestantia recedant, in qua una ratio tanquam regina quaedam in sapientis animo insidens imperium exerceat. Est autem argumentationis summa fere haec.

Perfectae illius artis civilis magnitudinem quum angustae hominum mentes capere non possent, factum est, ut conderentur civitates eae, in quibus pro ratione ac sapientia, tanquam una eaque viva lege, ingens vis et multitudo legum publica auctoritate sanciretur. Itaque ortae illae sunt omnes ex humana imbecillitate, eoque ipso sunt deteriores ea republica, quam modo descripsimus. Intercedit tamen inter ipsas aliquid discriminis propterea, quod aliae magis aliae minus ad huius similitudinem accedunt, prouti leges, quibus utuntur, aut a sapientibus aut ab insipientioribus scriptae sunt et aut religiose observantur aut petulanter negliguntur atque mutantur. Itaque optima inter ipsas ea est, quae leges habet quam maxime rationi consentaneas, easdemque colit sanctissime, ut nec uni alicui nec magnae multitudini eas violare aut irritas reddere impune liceat; quaeque si qua earum mutandarum necessitas inciderit, id maxime curat, ut ne imperiti aut populi multitudo, sed viri prudentes de ea re in consilium adhibeantur. Iam vero ex eo, quod in eiusmodi civitatibus rei publicae administratio aut penes unum esse potest, aut penes paucos, aut penes populum universum, quodque id vel iuste vel iniuste fieri solet, variae illae rerumpublicarum formae habent originem, quae vulgo discernuntur, regnum et tyrannis, aristocratia et oligarchia, denique democratia, quae et ipsa rursus natura sua duplex esse potest. Quarum quidem singularum etsi varia est dignitas diversumque pretium, quandoquidem unius imperium, prouti aut a principe legum reverente aut a tyranno earundem contemtore exercetur, et omnium optimum et vero etiam longe miserrimum esse potest; democratia autem optima tum est, quum reliquae civitatum formae omnes

peraeque corruptae ac depravatae sunt, propterea quod ea divisa inter multos potestate nec bona nec mala insignia efficere potest: tamen omnes eodem premuntur incommodo. Gerunt enim res suas ex mutis rigidisque legum publice sancitarum praescriptionibus neque scientia et arte gubernantur. Quodsi in ulla alia fieret rerum vel privatarum vel publicarum administratione, ecquis est quin videat brevi futurum esse, ut omnis felicis eventus prosperitas penitus auferretur? Tantum nimirum hoc malum est, ut paene mirari subeat, multas, quae isto modo conditae sunt, civitates tamdiu stetisse salvas et incolumes nec statim post ortum suum rursus eversas ac pessumdatas esse. Atque hinc iam intelligi licebit, quanto intervallo ii, qui in talibus civitatibus tractant rempublicam, ab illo viro civili distent, quem antea informavimus. Versantur enim illi non in verae reipublicae luce, sed in eius umbra quadam, neque eius artis gnari peritique sunt, quae regia appellanda sit, sed in eius imitatione quasi quadam subsistunt: quin vani sunt ineptique praestigiatores atque sophistarum omnium maximi, quorum cohortem non iniuria aliquis cum turba aliqua Centaurorum vel Satyrorum comparaverit *).

Sed quum perridiculum sit et paene nefas hos in germani regis societatem admittere velle, tum multo minus etiam cum eo consociandi sunt oratores, iudices atque imperatores: nam hos quidem apparet eas artes exercere, quae civilis artis tanquam famulae quaedam sunt atque servae; ex quo quid consequatur de eorum laude ac dignitate, sponte intelligitur **).

Hac vero disputatione ubi demonstratum est, quantum intersit inter eos, qui vulgo rerum civilium prudentia excellere putabantur, atque eum sapientem, qui in optima civitate optimum imperium exerceat, Eleates exempli illius memor, quod antea regendae moderandaeque quaestionis caussa proposuerat, iam etiam de munere et officio viri civilis ita exponere instituit, ut opus ipsi perficiendum paucis describat, et quo id modo fieri oporteat significet. Quod quidem eleganter ita facit, ut quae de lanae texendae artificio erant exposita, ea in harum quoque rerum explicatione quam diligentissime respiciat.

*) P. 297. B — 303. C.
**) P. 303. C — 305. D.

Etenim sicuti in lana texenda fila duriora atque molliora connectenda esse docuit, quo pulcerrimum artis opus efficiatur; ita in republica duplicis ingenii cives reperiri demonstrat, qui quam maxima concordia sint continendi, ut tanquam concentus quidem universae civitatis efficiatur. Discernit enim pro varia animorum indole duas ingeniorum virtutes inter se contrarias, fortitudinem, quae sit propria hominum calidiorum et vehementiorum, atque temperantiam, quae in sedatos ac moderatiores conveniat. Quas quidem virtutes, sic enim appellat, etsi quam diu iustum teneant modum opportuneque locum suum habeant, per se laudabiles esse censet, tamen naturali quadam ingenii humani inclinatione facillime ait in cognata degenerare vitia: nam fortitudinem in immoderatam vehementiam, in iracundiam, in petulantiam, in superbiam abire; temperantiam autem facile deferri ad ignaviam, ad mollitiem, ad timiditatem, alia vitia similia. Ita autem fieri non posse dicit, quin omnis civitas brevi plurimis malis repleatur, rixis, contentionibus, discordia, seditione, servitute. Quamobrem arti civili hoc potissimum munus et officium propositum esse vult, ut malis omnibus remotis ac sublatis, ea quae bona sint quam aptissime in unum coniungantur ac similia cum dissimilibus communi quodam concordiae vinculo colligentur *). Quod quomodo efficiendum sit, extrema operis parte sic fere docetur.

Ne respublica, inquit hospes Eleaticus, aliquando ex malis et improbis civibus trahat perniciem, artis civilis est, primum singulorum animos et ingenia explorare, deinde exploratos in disciplinam idoneorum magistrorum tradere, qui eos publica auctoritate ita erudiant et instituant, ut civitatis rationibus conveniat. Quodsi autem reperientur qui natura ad omnem pravitatem tam abiecti sint, ut ad virtutem et humanitatem conformari vix possint aut omnino nequeant, ii vel patria eiiciendi vel supplicio afficiendi vel etiam in servorum conditionem detrudendi sunt, ut ne quae relinquatur mali materies. Quo purgationis quasi munere peracto deinde ex iis, quorum animi ad bona quaeque proclives sunt, civitatis tanquam textura componenda est, coniungendis atque temperandis ingeniis mitibus cum vehementioribus. Sunt autem

*) P. 305. D — 308. A.

duplicis generis vincula, quibus cives omnes ad communem concordiam colligari queant. Nam primum quidem divinior animi pars divino vinculo coniuganda; deinde pars animalis hominis humanis connectenda vinculis est. Et illud quidem ita fiet, ut animis civium de eo, quod verum, bonum, et honestum est, rectae opiniones instillentur et quasi ingenerentur: nam ita qui sunt animosiores ac vehementiores adscita lenitate evadent moderatiores, quique natura sunt lenes ac moderati, boni et honesti amore ad res gnaviter strenueque gerendas excitabuntur et inflammabuntur*). Hoc autem mutuis connubiis prudenter regendis efficietur: nam fortitudo ubi per multa secula in una eademque stirpe ita propagatur, ut non commisceatur cum natura leniore ac temperatiore, facile denique amissa virtutis laude in immanem ferociam degenerat; lenitas autem ac temperantia, si omni cum fortitudine ac strenua audacia commercio abstinet, postremo in pravam delabitur ignaviam ac segnem mollitiem. In quo ipso maximi rursus res momenti est, ut utrique sexui de vero, bono, honesto, unum idemque impertiatur iudicium, idque ratione confirmatum. Ita igitur maximum sane atque unum est artis civilis opus, ut ingenia naturae indole dissimilia, sed ad virtutem prona neque inhabilia, tanquam regiae texturae artificio, effecta communi de rebus maximis iudiciorum consensione in unum coniungantur**). Atque haec concordia quum omnibus modis alenda atque sustentanda sit, tum etiam magistratibus prudenter legendis confirmari debet. Itaque unus sicubi rempublicam gubernat et administrat, videndum inprimis illud est, ut in eo lenitas et mansuetudo cum fortitudine ac severitate coniuncta cernatur. Ubi vero penes plures imperium est, ibi certe magistratus utriusque generis esse debebunt, ut ne in alterutram partem peccetur. Quippe lenium ac moderatorum principum indoles etsi eo nomine laudanda videtur, quod cauta est, prudens, iusta, communis salutis servandae studiosa, tamen non poterit carere quadam strenuitate et audacia, sine qua vel optima consilia interdum irrita redduntur. Fortes autem et animosi principes ac magistratus sine temperantia facile abripiuntur ad temeritatem et ferociam. Itaque utriusque virtutis, hoc est fortitudinis et moderationis, quasi quoddam temperamentum per omnem civitatem locum habere debet, siquidem futurum sit, ut in ea publice privatimque bene et beate vivatur.

*) P. 308. A — 310. A.
**) P. 310. A — 311. A.

Haec igitur hospes Eleaticus de viri civilis munere et officio; quibus expositis simul etiam illud ostensum esse apparet, qua ipsum animi ingeniique indole ac virtute praeditum esse oporteat.

Iam vero hic Socrates, non quidem juvenis ille, sed sapiens, rupto aliquando silentio, Praeclare vero, inquit, o Hospes, etiam regium virum nobis instituisti. Quibus dictis sermoni finis imponitur*).

Summatim tandem retulimus, quae in hoc Platonis opere, de quo agitur, disputata leguntur. Unde sicuti clarum et apertum erit omnibus, insignem esse rerum in eo explicatarum gravitatem, ita etiam perspicietur facillime, maximam esse difficultatem, qua prematur eius interpretatio. Nam quamcunque eius partem intuemur, certe nulla est, quam non fatendum sit aliquid habere dubitationis. Quid enim? Qui tandem fit, ut primarii interlocutoris partes non Socrates ille tueatur, qui in plerisque aliis Platonis dialogis loquens inducitur, sed hospes aliquis Eleaticus, et quidem idem ille, qui iam in Sophista loquens inductus est? Quorsum porro pertinet singulare istud disserendi genus, quod per totum fere sermonem diffusum est, quandoquidem argutae minutaeque generum in formas divisiones tanta copia et multitudine coacervantur, ut qui assuefacti sunt Socraticae illi disputationis suavitati atque facilitati, quae in ceteris Platonis operibus regnat, ii non iam Platonem legere sibi videantur, sed potius scriptorem aliquem horridae cuidam ac spinosae dialecticae immoderatius indulgentem? Quaenam caussa et ratio est longae istius atque copiosae de variis mundi aetatibus narrationis, quae sicuti in se non pauca habet ad explicandum difficilia, ita etiam cum principali disputationis argumento parum apte videtur cohaerere? Et qualem tandem putabimus esse virum illum scientia civili praeter ceteros praeditum, quem philosophus informavit atque instituit, qualesque eos, qui ipsi tanquam e regione collocantur? Quid de-

*) P. 311. A. usque ad ult.

nique censebimus de universi operis argumento et proposito? quid de partium, ex quibus constat, descriptione atque iunctura? quid de coniunctione et necessitudine, qua cum aliis Platonis libris contineatur? quid de fontibus, unde hausta sint quae in eo videntur esse singularia? Haec igitur atque alia id genus non pauca ita certe comparata sunt, ut magna sane premantur obscuritate et singularem quandam requirant explicationem, siquidem futurum sit, ut totus liber penitus intelligatur recteque aestimetur. Id ipsum vero hac disputatione nostra pro viribus efficere conabimur, in eaque re videmur optime sic versaturi esse, si ante omnia de temporibus quaeramus, quibus librum scriptum atque editum esse suspicari liceat. Nam quum Plato in plerisque omnibus operibus suis scribendi consilia pro temporum varietate ita variasse reperiatur, ut iis interlocutorum personas, argumenti delectum, disserendi rationem, alia, prudenter attemperaverit, tum in scribendo Politico eorum temporum, quibus tum aut utebatur aut modo usus erat, quum librum scriberet, adeo diligentem habuit rationem, ut his non satis definitis fieri nullo modo possit, ut liber plene accurateque intelligatur. Quamobrem age ante omnia videamus, ecquid de his rebus certius exquirere et statuere possimus.

CAP. II.

Exquiruntur tempora, quibus Politicum a Platone scriptum et editum esse verisimile sit.

Praeclare vero nobiscum actum esset, si ex mentione institutorum Aegyptiorum p. 264. C.*) et 290. D.**) iniecta certo liceret colligere, quod inde TENNEMANNUS***) non improbante SCHLEIERMACHERO †) et CAR. FR. HERMANNO ††) collegit, scriptum esse dialogum post iter a Platone in Aegyptum susceptum. Nam ita certe haberemus unde faceremus in gravissima hac disputationis

*) Ibi leguntur haec: *οὐ γὰρ δὴ προστυχὴς γε αὐτὸς ὢν ὅτι γέγονας ταῖς ἐν τῷ Νείλῳ τιθασείαις τῶν ἰχθύων καὶ τῶν ἐν ταῖς βασιλικαῖς λίμναις.*

**) Ibi enim haec: *ὥστε περὶ μὲν Αἴγυπτον οὐδ' ἔξεστι βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς ἄρχειν.*

***) V. TENNEMANN. System. Philos. Plat. Vol. I. p. 120.

†) V. SCHLEIERMACHER. Opp. Plat. Germ. Vol. II. P. II. p. 251. ed. 2.

††) C. F. HERMANN. Hist. Phil. Plat. I. p. 501.

parte quaerendi initium. At enim vero sunt ista temporis indicia adeo incerta atque dubia, nihil ut inde tuto concludi posse existimemus, nisi si alia etiam accedant, unde certius de re controversa repetatur iudicium. Quis enim nobis spondeat Platonem de illis institutis nihil fama et auditione accepisse, sed ipsum praesentem ea cognovisse? Quamobrem alia nobis via in huius rei quaestione ingredienda est, siquidem ad aliquam coniecturae probabilitatem pervenire velimus. Ea vero quaerentibus sese tanquam ultro videtur offerre. Nam primum quidem Politicus arctissimo vinculo cum iis libris continetur, unde satis certo intelligas, a quonam inde tempore philosophus quum horum librorum tum etiam Politici scriptionem commentatus sit. Deinde ab hoc ipso tempore in universum quidem de vita atque fortuna Platonis ita constat, ut quorsum studiorum suorum consilia dirigere vel potuerit vel debuerit, facili negotio coniicere possimus. Denique ipsa illa opera ita comparata sunt, ut cognito perspectoque eorum argumento atque ratione coniectura non veridissimilis de tempore locum habeat, quo et litteris consignati et in lucem publicam emissi sint. De quibus omnibus ita placet exponere, ut brevi opere conficiamus disputationem nostram. Hoc autem ita videmur consequuturi esse facillime, si vitae cursum, quem Plato inde a Socratis obitu tenuit, persequentes et tanquam lustrantes simul ea notemus, quae ad definiendum tempus conducant, quo scripta cum Politico coniuncta et arctiore quodam necessitudinis vinculo copulata ipsumque Politicum foras prodiisse coniicere licet; deinde vero nonnulla subiungamus, quae ad unius maxime Politici rationes accuratius definiendas pertineant.

Itaque res vitamque Platonis ab eo inde tempore contemplantes, quod post obitum Socratis est insequutum, facile animadvertemus, statim ab initio huius aetatis maximam ipsi allatam esse fortunae pariter atque studiorum vicissitudinem. Constat enim testimoniis veterum scriptorum bene multis iisque satis luculentis, philosophum Socrate ab Atheniensibus iniuste interemto una cum aliis Socraticis Megara ad Euclidem, familiae Megaricae principem eundemque Socratis quondam discipulum, concessisse *). Ex quo tempore id sequutus consilii est, ut reliquam aetatem procul a

*) V. MENAG. ad *Diog. Laërt.* libr. II. §. 106. p. 121.

republica haberet. Nam eam videbat per omnes vitae partes ingruisse morum nequitiam ac pravitatem, ut facile sibi persuaderet multo agere sapientius, qui Socratis exemplum sequuti privato otio degerent vitam ac sapientiae commendatione civibus suis prodesse studerent, quam qui vel cum salutis suae discrimine rempublicam tractare vellent adeoque publicorum scelerum administri existere*). Itaque tunc cummaxime opinor condere decrevit eam sapientiae disciplinam, quae quantum fieri posset gravissimis illis malis mederetur ac vindicatis veri et honesti rationibus verae utilitatis quam plurimum ad bonum publicum conferret. Nam tantum abest, ut cives suos atque patriam in his studiis suis neglexerit, ut usui esse civitati praeclarissimum sapientiae munus maximumque virtutis vel documentum vel officium putaverit**). Ingentis operis, quod tunc primum videtur mente et cogitatione complexus esse, fundamenta quasi quaedam iacta sibi videbat per institutionem ac disciplinam Socraticam, qua per decem fere annos usus erat. Etsi enim iam mature etiam Heracliteorum ac fortasse Eleatarum sapientia erat imbutus***), tamen huius quidem notitia non tantum ipsi profuit, quantum ratio Socratica, qua una maxime ad notionum rimandarum diligentiam atque subtilitatem adsuefactus fuisse videtur. Nam huius ope quum iam adolescens eo esset perductus, ut quantum inter scientiae firmitatem atque opinionis levitatem et inconstantiam interesset, facile sentiret, profecto etiam illud debuit sibi persuasisse, in sapientiae disciplina plurimum referre, ut spretis erroribus reiectaque opinionum levitate ad scientiae verae et nomine suo dignae constantiam perve-

*) V. Epist. Plat. VII. p. 324. C. 325. C. sqq. 331. D. 320. A. coll. De Rep. VI. p. 496. A—497. A. Apol. Socr. p. 31. C. *Cicero*. Epist. ad Fam. I. 9. De caussis, cur Plato sic sibi faciendum statuerit, copiose nuper exposuit HERMANN. Hist. Phil. Plat. I. p. 35 sqq. A Socraticis maxime orta videtur nobilis illa veterum philosophorum controversia, qua disceptabatur, num sapienti gerenda respublica esset; de qua v. *Aristot.* De Rep. VII. 2. *Cicero*. De Rep. I. 5. ibique Maium.

**) V. Epist. VII. p. 326. A. IX. p. 358. A. coll. De Rep. VI. p. 496. A.

***) De Eleatica disciplina non certo constat; sed Heracliteorum decreta ipsi iam mature innotuisse satis testatum habemus. V. HERMANN. l. c. p. 46 sqq. coll. Prolegom. nostris ad Plat. Cratyl. p. 25 sqq.

niretur*). Quod quidem ita esse, nostro certe iudicio satis constantur dialogi illi more Socratico scripti, in quibus subtiles de vi et natura virtutis quaestiones ita instituuntur, ut deludantur gloriosi illi virtutis promissores, qui etsi eius disciplinam profitebantur, tamen vero minime perspecto totam referebant vel ad utilitatis vel ad propriae opinionis speciem atque probabilitatem. Habent enim hi libri omnes auctorem Platonem Socraticum, hoc est iuvenem, non Platonem aetate provectum et iam interioribus philosophiae sacris initiatum**). Atque ab his de virtutis vi et natura quaestionibus profectus philosophus paullatim processit ad ipsius scientiae eiusque fontium subtilem accuratamque considerationem. Nam quum verum sentiret una mente et ratione contineri, quae sola certam afferret scientiam, quaerere etiam instituit de veri iudicio, de quo quam variae essent atque multiplices philosophorum opiniones, certe eum non videtur praeterire potuisse, qui dudum Heracliteae doctrinae notitiam acceperat atque sophistarum, inprimis Protagorae, de his rebus cognoverat iudicia. Quamobrem nos quidem sic nobis persuasimus, ut ipsum, posteaquam vanos illos virtutis magistros ostendisset scientia plane carere, qua una tamen vera virtus absolveretur, ad eos confutandos putemus aggressum esse, qui scientiae vim naturamque vel in umbris vocabulorum vel in visis et opinionibus inesse volebant. Quod etsi nemo quisquam veterum scriptorum perspicue testatus est, tamen ex ipsius operibus coniectura haud temeraria assequuti videmur***). Atque istud ipsum studiorum tanquam iter quum in eo esset ut ulterius persequeretur, casu infelici quidem, sed ta-

*) Vere SCHLEIERMACHERUS, Sämmtliche Werke, dritte Abtheilg., Vol. IV. Fasc. I. p. 97. „*Plato brachte die Idee des Erkennens weiter auf den Unterschied zwischen ἐπιστήμη und δόξα ἀληθής.*“ Id ipsum vero nos quidem initium fuisse censemus, unde profectus philosophus ulterius progredi coeperit.

**) Huius sententiae nostrae alibi propositae vehementer laetamur quod nuper gravissimum nacti sumus adstipulatorem et assertorem, CAR. FR. HERMANNUM, qui eam in praeclaro opere Historiae Philosophiae Platonicae ita amplexus est, ut in paucissimis partibus a nobis dissentiat. A SCHLEIERMACHERO igitur, qui hos dialogos maioribus operibus tanquam appendicis loco adiunxit, plurimum hac in re dissentimus.

***) V. Prolegg. ad Cratyl. p. 24 sqq. al.

men ad sapientiae disciplinam peropportuno accidit, ut ei, sicuti antea dictum est, Socrate magistro interfecto Megara commigrandum videretur. Qua in urbe perquam est verisimile tantam ei oblatam esse de iis rebus, quas ad examen vocare animum induxerat, quaerendi disputandique opportunitatem, ut fieri non potuerit, quin ratio ac doctrina, quam sequebatur, brevi tempore ad maiorem quandam perfectionem absolutionemque perduceretur. Nam ut taceam de aliorum Socraticorum, qui eodem se contulerant, familiaritate, inprimis Euclides ceterique Megarici sermonibus suis id videntur effecisse, ut animum ad rerum gravissimarum pervestigationem appelleret *). Euclidem enim constat a Socratis, magistri sui, ratione ita deflexisse, ut sententiam Eleaticorum, inprimisque Parmenidis, quam de eo quod esset quodque unum veri cognitionem praeberet, susceperant, cum illa copulare et quasi miscere conatus sit. Hoc vero quum in se satis grave esset ac diligenti animadversione dignissimum videretur, tum aliud quid accessit, quod item singularem quandam novitatis gratiam haberet. Megarici enim, quo facilius vel sua ipsorum decreta defenderent vel aliorum sententias refutarent, etiam hac in parte Eleatas imitati, plurimum tribuerunt arti dialecticae, quam non modo ad certas quasdam leges adstrinxerunt, verum etiam argutis atque captiosis argumentationibus adhibuerunt, ut iam a scholae primordiis Eristicorum nomen acceperint. Sive igitur doctrinam eorum respicimus, sive consideramus disserendi viam et rationem, qua usi sunt, certe longe est verisimillimum Platonem, tunc ipsum singulari quodam studio exquirendae veritatis incensum, quo tempore apud eos commoratus est, ad pervestigandos gravissimos philosophiae locos vehementer excitatum atque impulsum esse.

Atque hic nos videmus ad id pervenisse, cuius caussa totam hanc narrationem exorsi sumus. Videmur enim non temere hariolari Platonem existimantes inde ab hoc ipso tempore eorum librorum, qui cum Politico arctiore quodam vinculo connexi sunt, hoc est Theaeteti, Sophistae, Parmenidis, ipsiusque Politici scriptionem instituisse. Quam quidem sententiam nostram ita illustrare et confirmare conabimur, ut ante omnia videamus, ecquae

*) Id sic factum esse, iam TENNEMANNUS System. Phil. Plat. Vol. I. p. 30. suspicatus est, cui assentitur HERMANNUS l. c. Vol. I. p. 46 sqq.

reperiantur temporum vestigia his sermonibus impressa, unde id tuto concludere liceat. Ea vero in Theaeteto extant, ut nos quidem arbitramur, satis manifesta. Nam primum quidem quid tandem esse dicamus, cur sermo in hoc libro enarratus, quum non ita multo ante Socratis mortem Athenis habitus fingatur *), tamen Megaris in aedibus Euclidis Megarensis Terpsioni item Megarensi atque Socratis quondam discipulo fidelissimo a servulo quodam recitetur? Enimvero ego si quid video, pertinet hoc unice eo, ut aliqua necessitudo significetur, quae ipsi Platoni cum Megaricis intercesserit. Quod si ita est, sponte consequitur, ut librum post Olymp. 95. a 2. scriptum putari oporteat, quandoquidem Platonem ante id tempus aliquid commercii cum Megaricis habuisse nusquam testatum legimus. Atque ita praeter alios sensit etiam FR. ASTIUS De vita et scriptis Platonis p. 185., in eo tamen falsus magnopere, quod Theaetetum protenus Megaris a philosopho scriptum absolutumque esse statuit. Nimirum etiamsi philosophus iam tum, quum Megaris versaretur, talis scriptionis agitaverit consilium, quod sane perquam est verisimile, tamen absolutum tunc esse librum et in lucem publicam emissum nullo pacto concedimus. Quod cur ita existimemus, sponte ex iis apparebit, quae de his rebus porro exponenda sunt. Itaque ex ipso libri exordio nunc quidem hoc clarum et perspicuum esse putamus, scriptum eum esse post Olymp. 95. a. 2. Sed longius etiam progredimur. Nam quae in eo p. 142. A. memoratur pugna ad Corinthum, ea certe non potest ante Socratis obitum esse commissa, quandoquidem dialogus paullo ante Socratis mortem habitus fingitur. Itaque prorsus necesse est intelligatur illa, quam constat bello Corinthiaco Olymp. 96. a. 2. factam esse **). Idque tanto est verisimilius, quod ea ratione admissa colloquium non ita multo ante Socratis mortem Athenis habitum quattuor ferme annis post Megaris refertur, quum ille praeclari ingenii adolescens, Theaetetus ad Corinthum pugnavisset atque gravi morbo esset correptus. Atque hinc consequens est, ut dialogus non potuerit ante Olymp. 96. a. 2. absolvi et ad exitum perduci.

*) V. Theaet. p. 142. C.

**) V. XENOPH. Hellen. IV. 2, 8. DIODORUS XIV. 83. DEMOSTH. ad v. Lept. §. 41.

Quibus ita fixis atque stabilitis videmur caussam satis idoneam reperisse, quamobrem etiam Sophistam, Politicum, et quem Schleiermacherus miro iudicii errore pro opere paene rudi atque iuvenili habuit*), Parmenidem inde ab illo tempore scriptos esse putemus. Etenim tanta est horum librorum cum Theaeteto coniunctio, tanta necessitudo, ut nullo pacto temporibus multum diversis aut longo intervallo disiunctis scripti editique videri debeant. Nam Sophista quidem postridie eius diei, quo Theaetetus, peroratus esse fingitur**); Politicus porro eodem quo Sophista die habetur, ut huius memoria disputantibus adhuc recens sit atque illibata***); Parmenides denique non modo in Theaeteto†) significatur, verum etiam in Politico et Sophista††) satis aperte indicatur; nam plane nobis persuasum est, philosophi imaginem identidem in his sermonibus promissam in eo libro exhiberi, in quo scena dialogi repente mutata ipse Parmenides, summus familiae Eleaticae magister, cum Socrate sapiente, sed eo adhuc iuvene, colloquens inducitur†††). Huc accedit, quod in his libris omnibus ea cernitur argumenti, de quo disseritur, continuatio et quasi progressio, ut propemodum pro uno eoque grandiore opere habendi sint: de qua re postea dicetur explicatius, ubi quo artificio Politicus cum ceteris tribus sermonibus iunctus copulatusque sit, docere

*) V. Opp. Plat. T. I. Vol. II. p. 89 sq. ed. 2.

**) V. Sophist. p. 216. A.

***) V. Politic. p. 258. A. conf. p. 257. B, 284. B. 286. B. Omnino Politicus tam arcto vinculo cum Sophista copulatus est, ut uterque liber unum fere dialogum confiecre videatur.

†) Theaet. p. 180. ubi Socrates E. *Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται τὸ τοῦ Ὁμήρου αἰδοῖός τε ἅμα δεινός τε. συμπροέμιξα γὰρ δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ.* Quod plane sic in Parmenide fieri meminimus. Etiam in Sophista p. 217. C. Socrates narrat senem Parmenidem a se puero auditum esse disputantem; quod quidem pertinet eodem.

††) Politic. p. 257. A. *ὀφειλήσεις ταύτης τριπλασίαν (χάριν), ἐπειδάν τόν τε πολιτικὸν ἀπειργάσωνταί σοι καὶ τὸν φιλόσοφον.* Ibid. p. 257. B. C. Sophist. p. 217. C. et p. 253. E. 254. B. *περὶ τούτου (τοῦ φιλοσόφου) καὶ τάχα ἐπισκεψόμεθα σαφέστερον, ἂν ἔτι βουλομένοις ἡμῖν ᾖ, περὶ δὲ τοῦ σοφιστοῦ που δῆλον ὡς οὐκ ἀνετέον, πρὶν ἂν ἱκανῶς αὐτὸν θεασώμεθα.*

†††) V. Prolegg. ad Sophist. p. 45 sqq., ubi de hac re copiose exposuimus.

conabimur. Haec vero quum ita sint, ecquis est quin ultro fateatur, si non certum, at certe longo verisimillimum esse, Sophistam, Politicum et vero etiam Parmenidem non ita multo post Theaetetum vel litteris consignari vel in publicam lucem emitti coepisse? Nobis quidem id tam est verisimile, ut tantum non pro explorato habendum ducamus. Quanquam hic magnopere cavendum est, ne protenus omnes hos libros continuo tanquam agmine foras prodiisse existimemus; in quem errorem incidit Astius, qui in libro egregio De vita et scriptis Platonis p. 53. sq. eos omnes editos esse statuit quo tempore Plato habitaverit Megaris. Quod tantum abest ut credibile sit, ut abhorreat ab omni verisimilitudine, siquidem ipsorum ratio et argumentum luculenter evincit, philosophum rerum in iis tractatarum disputationem non uno velut ictu sed paullatim et post diuturniorem laborem perfecisse, quanquam id continua quadam temporis serie factum esse utique verisimile est. Nam primum quidem Sophistae argumentum ut ita statuamus vehementer suadet; in quo libro et ars disserendi Megaricorum leniter ridetur similique modo atque in Politico fit cum Socratica disputandi methodo componitur*), et Eleatarum ac Megaricorum ratio et disciplina ita examinatur, ut philosophus suam ipsius sententiam prudenter correctam et emendatam ad illam accommodasse videatur. Nam impugnatur sententia Parmenidis, qui unum statuebat**); refutatur doctrina Megaricorum, quandoquidem ideis, quas illi in se absolutas volebant esse neque ullius communionis capaces, etiam motus sive relatio vindicatur***); denique ipsius Platonis doctrina consummatur ac perficitur, quandoquidem docetur has ideas in se constantes quidem, sed easdem vivas vegentesque scientiam omnem cognitionemque veritatis efficere atque adeo non alias esse quam humanae mentis notitias tanquam essentiae omnis caussas atque effectrices†). Quae omnia ecquis est qui sine diuturniore harum rerum commentatione sic disputari potuisse sibi persuadeat, praesertim quum Plato ipse Eleaticis in multis

*) V. Prolegg. nostra ad Sophist. p. 36.

**) V. ibid. p. 37 sq. 41 sqq.

***) V. ibid. p. 39 sqq.

†) V. ibid. p. 39 sqq.

doctrinae partibus plurimum concesserit? Parmenides porro fere totus fundamentis doctrinae Pythagoricae, eiusque interioris atque reconditioris, superstructus est. Nam quae de eius, quod esse dicitur, rationibus admirabili acumine ac sagacitate explicantur, ea quum primo adspectu Eleaticae sint originis, tamen ad ipsius Platonis sententiam exposita cum Pythagoreorum definito et infinito opinionibus ita copulantur et in unum coniunguntur, ut hinc demum plenam lucem suam mutuentur. Quocirca vere dixeris in hoc opere doctrinam de ideis, in Sophista cum Megaricorum ratione ac disciplina consociatam, denique etiam cum Pythagoreorum ratione in unum coniungi ad eamque revocari*). Atque simile quiddam etiam de Politico audemus pronuntiare, in quo libro et vir ille civilis sapientiae tenax, qui instituitur, plane est Pythagoricus, et alia non pauca reperiuntur, quae ex eodem manarunt fonte; de qua re infra suo loco dicetur. Ex his igitur recte videmur colligere hos libros nullo pacto potuisse a Platone ante iter in Italiam inferiorem susceptum litteris consignari, nedum in publicam lucem emitti. Etenim constans est sane et multorum scriptorum testimoniis confirmata antiquitatis fama, Platonem, aliquo tempore Megaris transacto, ingenti quodam philosophiae studio incensum quum alias terras lustrasse, unde se aliquid ad veritatis disciplinam profecturum speraret, tum etiam in Italiam inferiorem se contulisse, ut perdisceret sapientiam Pythagoreorum**). Quod quis est quin fateatur magno esse argumento, ipsum tunc sensisse, quam parva et exilis esset, quam in patria sua hausisset, illius notitia? Pleniorem autem ipsum tunc demum accepisse eius notionem, nisi omnem antiquitatis auctoritatem evertere velimus, nullo modo dubitare poterimus. Nam inde ab illo tempore sese totum narratur dedisse Pythagoreorum studiis***); tunc temporis dicitur libros Philolai studiose conquisitos multo aere sibi comparavis-

*) V. Prolegg. ad Parmenid. Libr. I. cap. 4 sqq.

**) V. Cicero. De Fin. V. 29. Tuscul. IV. 19. De Republ. I. 10. Apulei. De Dogm. Plat. I. 1. p. 186. ed. Bosch. Diogen. Laert. III. 659. ibique Menag. p. 139. qui aliorum quoque testimonia attulit Addimus Augustin. De Civ. Dei VIII. 4. Contra Acad. III. 37.

***) V. Cicer. De Rep. l. c. Apulei. l. c. al.

se*); inde etiam in scripta sua non pauca clam transtulisse fertur, quae Pythagoreis deberentur**). Quae omnia nonne testantur clarissime iam a veteribus, ne dicam ab ipsius aequalibus, sagaciter fuisse animadversum, quid quantumque esset quod Pythagoreis acceptum retulisset? Nec vero vanam aut inanem esse hanc veterum scriptorum narrationem ipsi eius libri loquuntur, ex quibus, si modo ad eam rem attendas, passim quid rei sit cognoscere licet. Ac si quis in coniectando audacior esse velit, haud sane inepte suspicetur eos ipsos libros, de quibus nunc cummaxime quaerimus, ansam praebuisse calumniae, qua multa furtim sua fecisse arguebatur, quae propria essent Pythagoreorum. Insunt enim profecto in iis non pauca, quae quum sint Pythagorica, tamen sine ulla eius rei significatione callidissime cum reliquis contexuntur. Quocirca nos quidem minime dubitamus sic statuere, ut Sophistam aliquo intervallo post Theaetetum scriptum existimemus, Politici vero atque Parmenidis origines ad ea tempora referamus, quibus Plato, sapientiae Pythagoricae sacris tandem aliquando initiatus, quantum lucri inde ad suam ipsius rationem ac disciplinam locupletandam consummandamque percipi posset, iam plane intelligebat ipsoque usu compertum habebat. Quamquam ne Theaetetum quidem atque Sophistam prius aut absolutos aut foras emissos esse credimus quam reliquos duos dialogos. Cuius sententiae nostrae caussas et rationes paucis exposuisse iuvabit. Repetitae vero eae sunt ex uno maxime Theaeteto. Quem librum etsi facile largimur iam inde ab eo tempore coeptum esse scribi, quod Plato Megaris transegit, propterea quod argumentum eius quasi naturali quadam cognatione coniunctum est cum quaestionibus superiore tempore ab eo institutis, tamen postea demum ad finem perductum esse duobus argumentis evincitur. Nam primum quidem Sophistae et Politici arctior est cum eo copulatio, quam ut vel absolutionis vel editionis tempus multum diversum esse potuerit; deinde prius exordium Theaeteti, ut iam antea significavimus, eiusmodi est, ut postero demum tempore adiectum pu-

*) V. Gellius N. A. III. 17. Cicer. l. c. Diog. Laert. III. 9. 8. 17. Iamblich. Vit. Pyth. XXXI.

**) V. Gellius l. c. Athenaeus XI. 15. Euseb. Praep. Evang. X. 3.

tari oporteat, quo tempore Plato eos libros, qui Megaricorum rationem ac disciplinam accuratius tractant, vel absolvisset vel foras emittere constituisset. Certe quidem illud sic tantum videtur idoneam habere caussam atque rationem, si tanquam indicium facere putetur eius coniunctionis, qua Theaetetus cum iis continetur libris, in quibus ratio et doctrina Megaricorum sub examen vocatur, quale in Theaeteto p. 183. E. urbane detrectatur, sitque simul quasi monumentum quoddam temporis aliquando Megaris cum veteribus amicis familiariter transacti; sin minus, quoniam cum ipso libri argumento nullam omnino coniunctionem habet ac necessitudinem, moleste redundare ac praeter artis leges annexum esse putandum erit; quod tamen nemo temere sic statuet, qui quanta etiam his in rebus adornandis Platonici ingenii solertia sit, penitus intellexerit*). Quodsi autem de Theaeteto recte ita statuitur, quid de Sophista inde consequatur, sponte intelligas. Apparet enim ne hunc quidem potuisse in lucem prodire solitarium.

Iam vero his ita exploratis facile liceret definire, quo tempore hi libri omnes et litteris perscripti et editioni destinati fuerint, si quo ordine Plato Aegyptum, Cyrenen, Italiam et Siciliam lustraverit, satis certo testatum haberemus. Manifestum est enim eos a Platone tum demum potuisse perfici atque editioni parari, quum audivisset Pythagoreos. Sed tanta est veterum scriptorum de ea re dissensio, ut alii eum primum Italiam, deinde Aegyptum ac Cyrenen, alii primum Aegyptum et Cyrenen ac deinde Italiam, alii inprimisque Apuleius primum Italiam, deinde Cyrenen et Aegyptum, ac tum iterum Italiam et Siciliam adire iubeant**). Quamobrem hic illud unum tenendum putamus,

*) Exposuimus de his rebus uberius in Programmate: *De argumento et artificio Theaeteti ex temporum rationibus iudicando.* Lipsiae 1837. ubi v. inprimis p. 15 sqq.

**) Exposuerunt de hac narrationum discrepantia Tennemannus System. Phil. Plat. T. I. p. 30 sqq. Astius De Vita et Scriptis Plat. p. 23 sqq. Hermann. Histor. Philos. Plat. V. I. p. 52 sqq. Nobis quid videatur, in Praefat. ad Opp. Plat. Vol. I. p. XVIII sqq. professi sumus. Apuleium enim sequi consultum ducimus, quippe qui sua hausit ex commentariis Speusippi de vita Platonis, hoc est, ex fontibus limpidissimis.

scriptionem horum operum, excepto Theaeteto, quem philosophus iam antea videtur commentatus esse, in illud incidere tempus, quo Plato relictis Megaris exteras terras inprimisque magnam Graeciam invisere coepit. Sed haec quum accuratius definiri vix possint, tamen tempus, quo opera ista omnia in publicam lucem prodierunt, non tantis tenebris obvolutum censemus, ut certius indicari nequeat. Magnum enim momentum ad huius rei quaestionem ulterius profligandam illud facit, quod quotquot scriptores de primis istis Platonis itineribus aliquid memoriae prodiderunt, ii omnes de eo consentiunt, fuisse ea continuo ordine suscepta neque ulla in patriam reditione interrupta. Nam quod Diogenes Laertius III. 8. Aristoxenum refert memoriae prodidisse Platonem ter militasse, primum in Tanagram, secundo in Corinthum, tertio ad Delium, ubi victoria sit potitus; quodque Aelianus Varr. Hist. l. VII. c. 14. similiter scribit: *Σωκράτης δὲ ἐστρατεύσατο τρίς· Πλάτων δὲ καὶ αὐτὸς εἰς Τανάγραν καὶ εἰς Κόρινθον;* ea narratio profecto ita comparata est, ut errore nata atque fide prorsus indigna iudicari debeat. Nam proelium ad Tanagram sive intelligas illud, de quo Thucyd. I. c. 108. sqq. narrat, sive id, de quo idem scriptor libro III. c. 91. refert; neutri Plato interesse potuit, quoniam Olymp. 80. a. 4., in quem annum fere illud incidit, nondum in dias luminis auras prodierat; Olymp. 88. a. 3. autem, quo tempore commissum est alterum, paene adhuc fuit quadrimus. Quocirca hic error aliquis lateat prorsus necesse est. Neque aliter sentiendum est de eo, quod apud Delium stipendia fecisse narratur. Nam pugna ad Delium incidit in Olymp. 89. a. 1. Reliqua igitur una pugna ad Corinthum est. Quae certe non potest esse eadem, quam antea vidimus Olymp. 96. a. 2. commissam esse. Nam res si sic haberet, vix silentio id transmissuri fuissent, qui de Platonis itineribus per illud tempus factis copiosius exposuerunt. Quod miramur sane praeteriisse Clintonem Platonis militiam in Tabulis chronologicis p. 100. ed. Krüger. sine ulla dubitatione ad hunc annum referentem. Quocirca aliud fortasse ignobilius proelium ad Corinthum factum intelligi liceat, quod in Platonis inciderit iuventutem. At primum quidem quodnam illud sit, vix reperias: deinde huic commento quodammodo officit ipse Aelianus Varr. Hist. l. III. c. 24., qui narrat Platonem iuvenem, quum aliquando

arma ad faciendam militiam sibi emisset, a Socrate deterritum animo mutato sese totum ad philosophiae studia convertisse. Quae si vera sunt, facile suspiceris Platonem fecisse quidem aliquando stipendia; id enim etiam ex Diogen. Laert. III. 24. perspicuum est; sed fecisse tempore nobis ignoto planeque incerto; narrationem autem illam natam esse ex iis, quae de Socrate, Xenophonte, aliisque philosophis militia claris memoriae prodita essent. Nisi forte suspicari malueris alium quendam Platonem cum philosopho nostro temere esse permutatum. Nam extitisse non paucos eius nominis homines claros atque adeo philosophos, planissime evincent quae exposuerunt Ionsius De Scriptoribus Histor. Philos. libr. I. c. II. §. 3. et Fabricius Biblioth. Gr. libr. III. c. I. Sed quidquid rei est, illud quidem pro certo et explorato habemus, quod item iudicavit Perizonius ad Aelian. Varr. Hist. VII. 14., totam istam narrationem splendido niti mendacio aut temeraria fraude et errore natam esse. Manet igitur certum et indubium, quod supra diximus, Platonem, ubi semel peregrinationes illas, de quibus loquimur, suscepisset, per longius temporis spatium ita patria abfuisse, ut nunquam in eam vel ad breve tempus reverterit. Ex quo consequens esse putamus, ut nec libros istos, de quorum originibus quaerimus, ante reditum in patriam foras dederit. Etenim cur tandem ea ederet, quum patria paene exul abesset? aut quomodo publicaret, cum omni fere cum civibus suis commercio esset intercluses? aut quam ob caussam, dum quaerebat unde ad sapientiae disciplinam proficeret, eorum editionem festinaret? Nimirum res nostro quidem iudicio sic se habet. Elaboravit philosophus haec scripta omnia quo tempore peregre aberat, foras emissurus quum primum ita ferret occasio, ideoque redux in patriam eadem secum attulit iam prope perfecta et absoluta, ut ea statim post adventum suum posset cum civibus suis communicare. Atque hinc verisimiliter sane coniicere licet, quo tempore tandem in lucem publicam sint emissa.

Sed hoc loco aliud quid nobis exponendum videmus, priusquam ad istud ipsum accuratius indagandum progrediamur. Dubitare enim aliquis possit, num Plato revera haec opera ante reditum in patriam ex primo itinere confecerit et paullo post, sicuti nostra fert opinio, in lucem emiserit; utrumque enim item

posteriore demum aetate ab eo fieri potuisse. Quae quidem dubitatio quo removeatur, id agendum est, ut etiam illum temporis terminum certius constituamus, quo scriptio pariter atque editio eorum veluti ex altera parte circumscribatur. Et hic quidem plurimum momenti illud facit, quod argumentum horum librorum ad illa tempora, quorum indicia in iis reperiuntur, mire profecto congruit, ad alia tempora non item. Nam ut pauca tantum memoremus, num tandem verisimile putabimus, Platonem exordium illud Theaeteti multo demum tempore post otium illud suum Megarense conscripsisse? num eum Eleaticorum et Megaricorum doctrinam pariter atque disserendi consuetudinem censebimus tum demum taxavisse, explorasse, ad suam denique rationem correxisse, quum iam plurimorum annorum spatium effluxisset, ex quo eam cognovisset accuratius? num quae a Pythagoreis acceperat, diuturno silentio premere voluisse videri debebit, quum eo potissimum consilio ad illos profectus esse dicatur, ut eorum inventa pernosceret atque inde suam rationem ac disciplinam quantum fieri posset locupletaret? Et nonne quaestiones illae de scientiae caussis et fontibus, de idearum vi et natura, de arte dialectica, de rerum publicarum gubernatione, de veri philosophi dignitate, in Theaeteto, Sophista, Politico, Parmenide institutae, cum vel maxime decent, qui miseram patriae conditionem pertaesus sese totum philosophiae studiis dedere constituerat? nonne optime conveniunt in eum, qui, relicta disciplina Socratica, iam suo Marte id agere decreverat, ut et veritatis fontes subtilius indagaret et philosophiae dignitatem vimque salutarem maximam esse demonstraret? nonne propriae quasi eius videri debent, quem tunc novimus cum Megaricis et Pythagoreis familiariter versatum esse eoque ad harum maxime rerum commentationem deduci debuisse? Enimvero sunt haec omnia certe eiusmodi, ut, si non certum, at tamen longe verisimillimum reddant, quod nobis probari antea significavimus. Iam vero quid tandem de editione illorum librorum censebimus? putabimusne eam a philosopho, posteaquam in patriam rediisset, diu esse procrastinatam aut in multos annos dilatam? Nimirum id nostra quidem sententia sic tantum liceret suspicari, si eius nihil interfuisse constaret, utrum studiorum suorum fructus non ita multo post reditum suum an tempore aliquanto posteriore divul-

garentur. Nunc secus fuisse res ipsa indicat. Nam magnopere profecto debuit optare, ut quam primum civibus suis palam faceret, quantum per longum illud temporis spatium, quo patria abfuerat, in sapientiae studiis profecisset. Quamobrem nos quidem arbitramur, eum temporum opportunitate non praetermissa, quum primum in patriam rediisset, foras dedisse quae per itinerum tempora de rebus ad philosophiam pertinentibus commentatus erat. Atque id ipsum etiam de Politico sic statuimus. Quem quod SCHLEIERMACHERUS*) et CAR. FR. HERMANNUS**) longo post Sophistam intervallo scriptum editumque voluerunt, videntur illi nec satis reputavisse, quo vinculo hic dialogus cum ceteris, quos saepe diximus, dialogis cohaereat, neque diligenter attendisse illud, quod sane observatione dignissimum fuit, scriptum esse librum quo tempore Plato iam pleniorem accuratioremque Pythagoricae sapientiae notitiam accepisset. Nam his animadversis profecto facillime intelligitur, qui fiat, ut in eo multa vel attingantur vel exponantur atque illustrentur, quae in Philebo, Timaeo, Republica, hoc est libris aliquanto post scriptis, copiosius explicata sunt, neque ulla nos coget necessitas, ut eum ab societate illorum librorum segregemus ac divellamus, quibus ipse Plato eum adiunctum esse voluit***). Huc accedit aliud quid, quod nostram de his rebus opinionem non mediocriter confirmet. Nam absolutionem editionemque horum operum omnium non potuisse a Platone diu differri et procrastinari, etiam ex eo non inepte concludere videmur, quod non ita multo post reditum in patriam, suscepto in Academia docendi munere, nisi fallit coniectura, dialogum illum, Phaedri nomine inscriptum, tanquam disciplinae suae atque institutionis praenuncium quendam in publicum emisit†), id quod factum est circiter Olymp. 98. a. 4.††); quodque inde ab hoc temporis spatio, missa

*) Opp. Plat. Germ. V. II. P. II. p. 251.

**) Histor. Phil. Plat. V. I. p. 501 et 502.

***) Pythagoricae rationis vestigia in Politico ac Parmenide expressa HERMANNUM omnino videntur praeteriisse; alioquin certe p. 501 et p. 505 sqq. de his libris aliter erat iudicaturus.

†) Assentitur nobis de his rebus C. FR. HERMANNUS l. c. p. 123 ann. 176. et p. 514. id quod non sine magna laetitia intelleximus.

††) V. Prolegg. nostra ad Phaedrum, et ad Symposium p. 39. ed. 2.

iam Eleatica ista disserendi methodo, ad cuius exemplum sermonem gravibus de caussis in Sophista, Politico ac Parmenide attemperaverat, rursus revertit ad Socraticam illam dicendi scribendique elegantiam et ubertatem, quam in Phaedro, Symposio, Republica, aliis libris praestantissimis, summa cum voluptate admiramur.

Atque hic tandem eorum, quae hactenus disputavimus, quasi summam facere licebit. Videmur enim disputatione nostra certe effecisse hoc, ut libri illi omnes, de quibus agitur, inde ab Olymp. 96. a. 2. usque ad Platonis in patriam reditum litteris perscripti, ante Olymp. 98. a. 3. vel 4. autem posteaquam redux in patriam factus erat, in publicam lucem emissi esse existimandi sint. Quod si igitur accuratius definiri poterit, quo anno philosophus Athenas redierit, his rebus facile apparet lucem affusum iri etiam multo clariorem. Quocirca age experiamur an de his aliquid extricare possimus. Fiet autem id commodissime sic, ut colligamus in unum quae de Platonis temporibus sparsim memoriae prodita sunt. Constat igitur testimoniis scriptorum veterum gravissimis Platonem Olymp. 95. a. 2. sive anno 399*) ante aer. Chr. discessisse Megara: quo tempore secundum Hermodorum apud DIOGENEM LAERT. III. 6. 28. viginti annos, secundum alios fere triginta annos natus fuit. Posteriorem sententiam verisimiliorem esse, non infitiabuntur qui locupletissimos auctores meminerint philosophum narrare Olymp. 87. a. 3. sive anno 429 ante aer. Christ. natum esse**). Iam vero Epistol. Plat. VII. p. 324. A. circiter quadraginta annos natus Syracusas dicitur pervenisse. Quod si ita est, factum sit prorsus necesse est Olymp. 97. a. 4. sive anno 389 ante aer. Christ. Atque id unice verum videtur CORSINIO in GORII Symbolis Liter. Vol. VI. p. 97 sqq. Unde vir doctus locum Ciceronis in Laelio c. XII. emendandum censet. Quod enim ibi legitur: *quem* (Platonem) *Tarentum venisse L. Camillo, Appio Claudio coss. reperio*, id sic refingi iubet: *quem Tarentum venisse L. Aemilio et Ap-*

*) In temporum notatione placuit CLINTONIS rationes sequi, quod hic monuisse non erit inutile.

**) V. MENAG. ad Diog. Laert. III. 3. p. 136. MEINERS Histor. Artium ac Doctrinar. Graec. Vol. II. p. 684. HERMANN. Histor. Philos. Plat. V. I. p. 86.

pio Cornelio tribunis (h. e. M. Furio Camillo dictatore) *et abisse L. Camillo et Appio Claudio coss. reperio.* E' certe istud L. Aemilio etiam codicum quorundam testimoniis confirmatur. Sed de reliquis vix cum viro docto consentias, quandoquidem Plato non anno U. C. 404. sive 350 ante aer. Christ., h. e. Olymp. 107. a. 3. obiisse dicitur, quo anno secundum Pighium Annal. Rom. T. I. p. 249. Lucius Camillus et Appius Claudius consulatum gesserunt, sed potius anno aetatis octogesimo primo, hoc est Olymp. 108. a. 2. sive anno 347 ante aer. Chr. vita defunctus esse. Quamobrem locus fortasse leniore mutatione refingendus erit. Sed hoc in medio relinquamus. Venit igitur Plato, si qua ceteris testibus fides est, Syracusas Olymp. 97. a. 4. sive 389 a. Chr. Ubi quam diu commoratus sit, nemo certius testatus est. Verisimillimum tamen putamus, eum haud ita diu ibi permansisse, quandoquidem Dionysius statim ut advenerat ferre non potuit eam, qua utebatur, oris libertatem*). Quocirca plerique statuunt ipsum eodem anno, quo venerat Syracusas, rursus in patriam rediisse. Ac sane pertinere huc videatur illud, quod Eusebius Chron. ad Olymp. 97. a. 4. annotavit: „*Plato philosophus agnoscitur*," nisi id probabilius ad eius in Sicilia adventum referatur. Quamobrem alia via ingredienda est ad inveniendum id, quod quaerimus. Optimum factum autem, quod memoriae proditum est, quam fortunam philosophus Syracusis revertens expertus sit. Plutarchus enim Vit. Dion. c. 5. p. 265. ed. Reisk. *οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν Δίωνα τοῦτο τέλος ᾖοντο τῆς ὀργῆς γεγονέναι, καὶ τὸν Πλάτωνα σπεύδοντα συνεξέπεμπον ἐπὶ τριήρους, ἣ Πόλλιν ἐκόμιζεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, τὸν Σπαρτιάτην. ὁ δὲ Διονύσιος κρύφα τοῦ Πόλλιδος ἐποιήσατο δέησιν, μάλιστα μὲν ἀποκτεῖναι τὸν ἄνδρα κατὰ πλοῦν, εἰ δὲ μή, πάντος ἀποδόσθαι· βλαβήσεσθαι γὰρ οὐδέν, ἀλλ' εὐδαιμονήσειν ὁμοίως, δίκαιον ὄντα, κἂν δοῦλος γένηται. διὸ καὶ λέγεται Πόλλις εἰς Αἴγιναν φέρων ἀποδόσθαι Πλάτωνα, πολέμου πρὸς Ἀθηναίους ὄντος αὐτοῖς, καὶ ψηφίσματος, ὅπως ὁ ληφθεὶς Ἀθηναίων ἐν Αἰγίνῃ πιπράσκηται.* Similia vel

*) V. Plutarch. Vit. Dion. c. 5. p. 264. ed. Reisk., qui omnium uberrime de his rebus exposuit.

potius eadem fere narrant Diodor. Sic. XV. 7. Plutarch. De exil. c. 4. Seneca Epist. 47. Macrob. Saturn. I, 11. quibus testibus Anniceris, hospes Cyrenaeus, Platonem viginti vel triginta minis redemit et in libertatem vindicavit. De Aeginetarum psephismate Diogen. Laert. III. 19. scribit: *τὸν πρῶτον ἐπιβάντα Ἀθηναίων τὴν νῆσον ἄκριτον ἀποθνήσκειν.* Iam vero de illis Aeginetarum cum Atheniensibus dissensionibus atque bellis copiose exposuit Xenophon Histor. Graec. libr. V. c. 1. inde a §. 1. usque ad §. 21. Ubi quae narrantur, ea prudenter Dodwellus ad Olymp. 98. 1. retulit. Proxime enim ante pacem Antalcideam evenerunt, quam Olymp. 98. anno 2. compositam esse optimorum auctorum sententia est*). Ex quo quid consequatur, sponte apparet. Rediit enim Plato in patriam suam Olymp. 98. anno 1. sive 388 ante aer. Christ. Atque hoc si ita evenit, quid de tempore, quo quattuor isti libri, quos saepe diximus, vel scripti vel editi sint, existimari debeat, iam tandem certius videtur definiri posse. Nam scripti sunt atque litteris exarati intra Olymp. 95. ann. 2. aut 96. ann. 2. atque Olymp. 98. ann. 1. sive intra annum 399 atque 388 a. aer. Chr., foras autem statim post Olymp. 98. ann. 1. prodierunt. Ex quo tempore quoniam Plato de scholis in Academia habendis cogitavit, Phaedrum et Symposium commentatus est, quos libros antea significavimus post Olymp. 98. 2. vel 3. in publicam lucem prodiisse, quo tempore philosophus publice docendi munus in se suscepisse videtur.

CAP. III.

Continuatur quaestio de temporibus, atque Politici argumentum et cum aliis Platonis dialogis coniunctionem docetur in iis definiendis aliquantum ponderis habere.

Atque haec quidem generatim et communiter de illis libris omnibus, quos eo temporis spatio a Platone scriptos ac foras datos esse suspicari liceat. Sequitur ut seorsum de Politico dicendum sit, quem eidem tempori assignavimus. Duae autem res hic discutiendae veniunt. Nam primum ex temporum ratio-

*) V. Corsini Fast. Att. III. p. 293. Manso Spart. III. 2. p. 204. Clinton. Tabul. Chronol. p. 110. ed. Krüg. Fallitur igitur magnopere Muellerus Aeginet. p. 190. qui a Diodoro in errorem inductus bellum Aeginetarum cum Atheniensibus ad Olymp. 98. ann. 4 retulit.

nibus declarandum videtur, ob quamnam caussam philosophus istud potissimum argumentum sibi tractandum sumserit; deinde videndum, cur hunc sermonem, qui in longe alia re illustranda versatur quam quae in Theaeteto, Sophista et Parmenide tractatur, cum his ipsis operibus arctius coniungendum existimaverit. Quibus explicatis futurum esse speramus, ut quae antea de temporibus, quibus hi libri litteris mandati sint, disputavimus, certioribus etiam argumentis confirmentur.

Et de argumento quidem Politici si quaeritur, nos certe in ea sumus opinione, ut eadem illa tempora, quae philosopho de veritatis et cognitionis natura atque caussis disserendi occasionem dedissent, ipsi etiam eam opportunitatem et paene necessitatem attulisse existimemus, ut de verae artis civilis dignitate ac praestantia exponeret, et vero etiam ostenderet, quantum ea ab vulgari ista reipublicae gerendae ratione discreparet, quae solo usu nulla ratione collecto contineretur. Reliquerat enim, sicuti antea dictum est, post obitum Socratis patriam suam eo consilio, ut sese totum philosophiae studiis dederet neque unquam attingeret rempublicam; iam satis diu apud exteros erat versatus rerum patriarum, ut quidem videbatur, prorsus incuriosus; denique nec unquam futurum esse sperari poterat, ut reipublicae consilio atque opera sua rursus prodesse vellet, quandoquidem apud se constituerat etiam postero tempore cum vitae cursum tenere, ut discendo potius atque docendo quam publica munera administrando virtutis aliquam laudem quaereret. Hoc vero consilium suum animo praevidebat, opinor, non esse defuturos qui maligne carperent et calumniarentur aut certe non ex aequo iudicarent. Quid igitur eum tunc fecisse existimabimus? Nimirum fecit id, quod tam excelsi animi viro longe fuit dignissimum, hoc est, factorum suorum atque consiliorum rationem ita reddere constituit, ut non tam suam ipsius quam sapientiae et virtutis caussam egisse videretur. Atque hoc ut ita faceret, etiam illud putamus effecisse, quod posteaquam in Italiam pervenit, quid Pythagorei de istiusmodi rebus sentirent, accuratius cognovisse videtur. Quorum sententiam quum videret esse tam praeclaram atque magnificam, ut ad eas, quas ipse dudum de civili prudentia et civitatum gubernatione suscepisset, opiniones vel stabiliendas atque confirmandas vel etiam emendandas plurimum conduceret, confidentius etiam atque alacrius opus istud aggressus est, ad quod suscipiendum ipsa tempora gravissime cohortari videbantur*). Ostendit igitur civibus suis, quos iam alio tempore in Menone, Gorgia, Protagora, aliis libris, admonuerat, quanti aestimanda esset quae vulgo iactaretur virtus civilis, his igitur nunc tandem ostendit perfecti illius civitatum rectoris speciem et imaginem, qualem ipse mente et animo informasset; descripsit item eos, qui quum temerario cum fastu prudentiae civilis laudem praeter ceteros affectarent, tamen optimo illi et perfecto reipublicae gubernatori, hoc est, philosopho in vitae communis actione constituto, tanto intervallo essent postponendi, ut nihil nisi vani quidam et inepti eius imitatores iudicari deberent; exposuit porro et in illustri luce collocavit earum rerumpublicarum, quibus Graecia utebatur, fortunam et conditionem, et quibus eae malis premerentur quamque longe ab optimae civitatis laude abessent, summa orationis libertate demonstravit; denique veram rectamque civitatis administrandae rationem docuit esse unam illam, quae ex ingenio atque animo regis aut principis vera sapientia referto tanquam ex fonte ac principio proficisceretur neque ex incertis suspenderetur opinionibus. Haec igitur atque alia id genus, de quibus in Politico explicatur, nonne apertum est peropportune a philosopho tum temporis esse excogitata atque litteris perscripta, quum vitatis negotiorum publicorum tempestatibus sese tanquam in portum philosophiae contulisset atque porro ita vivere constituisset, ut etiam aliquando redux in patriam factus unice philosophiae studiis vacaret eoque ipso usui civitati esset? Enimvero nos quidem totius vitae cursum ab eo emensum ordine deinceps mentis tanquam oculis lustrantes fatemur nullam eius invenisse partem, quae ad harum rerum explicationem atque commentationem magis fuerit opportuna. Quocirca plane nobis persuasimus etiam rerum in Politico tractatarum delectum eum esse, qui optime in illa tempora conveniat, quibus hunc librum pariter atque Sophistam et Parmenidem litteris consignatum esse suspicati sumus.

*) Platonem per Pythagoreos rursus ad rerum civilium considerationem permotum esse verissime disputat HERMANNUS Histor. Philos. Plat. I. p. 60 sqq.

Atque hic progredi statim licebit ad alterum illud, de quo nos exposituros esse antea professi sumus. Quaerendum est enim, cur Plato Politicum suum cum Theaeteto, Sophista et Parmenide ita coagmentaverit, ut hi libri omnes tantum non unum corpus conficiant. Cuius rei caussas si item in temporum illorum rationibus positas invenerimus, novum sane habebimus argumentum, quo sententiae antea propositae fides et auctoritas stabiliatur.

Quodsi igitur quaerimus, quonam vinculo Politicus cum tribus reliquis illis sermonibus colligatus sit, certe manifestum esse oportet omnibus, non tam necessariam quam fortuitam esse eius cum his operibus copulationem. Nam si verum fateri volumus, externa tantum forma ac specie cum illis continetur, quandoquidem in eo idem ille hospes Eleaticus, qui in Sophista loquens inductus est, etiam de rebus ad civitatem pertinentibus disputat atque eadem in disserendo ratione utitur, quam adhibuerat ad indagandum sophistam; sed primaria quaestio in eo instituta cum argumento Theaeteti, Sophistae et Parmenidis adeo nullam habet necessitudinem et coniunctionem, ut plane ab eo seiuncta et diversa videatur. Nam rex ille, qui perfecta rerum civilium scientia ornatur, etsi non est alius nisi philosophus in media republica constitutus, tamen quatenus in eius sapientiae societatem et communionem perveniat, de qua in reliquis tribus sermonibus explicatur, ne per transennam quidem ostenditur. Quod quo facilius intelligatur revera ita esse, age paucis videamus, quo artificio philosophus haec opera ita inter se iunxerit et copulaverit, ut una sermonis perpetuitate cohaerere videantur.

Itaque in Theaeteto constat eorum sententiam examinari et redargui, qui veritatis scientiam et cognitionem in visis atque rectis opinionibus volebant inesse. Quod quidem fit ab ipso Socrate, qui coram Theodoro Cyrenaico aliisque familiaribus cum Theaeteto, praeclari ingenii adolescente, de his rebus sic disputat, ut simul Socraticae illius obstetricandi artis tanquam specimen quoddam exhibeatur, unde eius virtus ac praestantia tota cognoscatur. Id quod non temere negligi oportuisse mox intelligetur. Verum sermo ille quum olim Athenis habitus sit, tamen Megaris in aedibus Euclidis Terpsioni Megarensi recitatur; quo elegantissime significatur earum rerum disputationem, quae iam

suscipiatur, pertinere utique ad philosophos Megaricos; adeoque inde ab eo tempore esse institutam, quo philosophus apud illos olim fuerit commoratus. Iam vero in Sophista, qui postridie habitus fingitur, transitur ad Eleaticos. Examinatur enim et refellitur eorum de Uno sive de Ente sententia, idque prudenter instituitur sic, ut simul doceatur, qua necessitudine et coniunctione id quod sit cum eo contineatur, quod non esse iudicari oporteat. Sed de hoc argumento non iam Socrates disputat, verum hospes aliquis Eleaticus a Theodoro in hesternorum familiarium societatem adductus. Nimirum is, veri reperiendi studio mirifice inflammatus et quaerendi subtilitati scholae more et instituto egregie adsuefactus, denique paene invitus eo defertur, ut Megaricorum sententiam ad Platonis rationem deflectat et repudiata Parmenidis id quod non esset plane tollentis opinione eius quod sit quodque non sit necessitudinem felicissime patefaciat. Sed hoc quum sit principale libri argumentum, tamen disputationis exordium ab alia quadam re ducitur, primo quidem adspectu multum diversa, sed revera cum illo coniunctissima. Etenim hospes Eleaticus ubi per Theodorum praesentibus amicis satis est commendatus eosque humaniter salutavit, protenus ab his interrogatur, quomodo Eleatici sophistam, virum civilem, hoc est rerum civilium scientia instructum, atque philosophum distinguant ac secernant; vulgo enim eos omnes pessimo errore inter ipsos confundi, siquidem ita accidat, ut philosophi modo pro sophistis, modo pro viris rerum publicarum gnaris et peritis, modo etiam pro insanis habeantur. Itaque ille primum sophistam investigandum statuit. Hoc vero faciens in eam pedetentim devenit sententiam, ut propriam eius tanquam sedem ac domicilium in eo quaeri oportere existimet, quod non esse dicatur. Quo facto progreditur ad exquirendam naturam rationemque eius, quod esse et non esse dicimus: quam dum explorat sic, ut id ipsum maxime spectasse videatur, eadem opera etiam sophistae indolem et naturam reperit, eoque modo id, de quo antea erat dubitatum, felici denique successu in clarissima luce collocat. Ita igitur in hoc dialogo et sophista investigatur, et non entis cum ente cognatio sic ostenditur, ut veritatis cognitionem ex utroque esse suspensam arte prorsus divina doceatur. Sed quum in harum rerum explicatione admirabilis cernatur Platonis solertia, tum

non minor ars elucet in disserendi forma et ratione, quam illi adhibuit. Nam quemadmodum in Theaeteto Socraticae dialecticae tanquam speciem quandam depinxisse videtur, ita in Sophista Eleatam induxit eum, qui acumini dialectico tribuat plurimum ac scholae suae mori et consuetudini in disserendo ita obtemperet, ut eius tanquam imago quaedam ob oculos ponatur. Quamquam id ea fit moderatione, ut moris alieni imitatio argumenti explicationi nihil officiat. Sed de his infra dicemus explicatius: nunc rem paucis significasse satis erit. Pergimus ad eum dialogum, qui Sophistam ordine deinceps excipit, hoc est, ad Politicum. Etenim sophista invento Eleates protenus accedit ad informandum virum vera rerum civilium scientia pollentem. Nec tamen iam in eo uno describendo subsistit, verum etiam illos depingit, qui artis civilis laudem temere aucupabantur. Quocirca hoc libro perfecti et consummati viri civilis species et imago proponitur, sed eidem etiam illi, qui temerario vulgi iudicio rerum civilium prudentia excellere putabantur, tanquam ex adversa parte opponuntur. Quod qua ratione fiat, infra declarabitur. Hoc loco id unum admonuisse iuvabit, perfectum illum optimumque civitatis gubernatorem, si rem accurate aestimes, non esse alium nisi ipsum philosophum sive sapientem in vitae publicae actione constitutum et civitatis factum gubernatorem, ut Plato iam in Politico philosophum ex parte depinxisse existimandus sit. Verum finxit eum in hoc libro talem, qui non iam eius, quod est vel non est, vim naturamque perscrutetur, sed qui mente sua atque ratione tantum valeat, ut ipse solus pro communi quadam totius reipublicae lege habendus sit. Quare facile intelligitur in his exponendis nullam habitam esse rationem eorum, quae in Theaeteto ac Sophista de humanae mentis cognitione eiusque principiis ac fontibus disputata sunt. Sed haec sicuti penitus videntur neglecta, ut per totum Politicum nusquam respiciantur; ita disserendi ratio in Sophista usurpata hic veluti consummatur ac perficitur. Nam eadem prorsus hic methodus dialectica atque illic dominatur; sed ita dominatur, ut subinde etiam corrigatur ab Eleata atque emendetur. Quamobrem apertum est philosophum id egisse, ut utrumque dialogum etiam communis dialecticae vinculo arctius coniungeret ac veluti constringeret. Atque haec quidem de Sophistae et Politici nexu et coniunctione. Reliquum fuit denique,

ut etiam philosophi species et imago perficienda esset, cuius spes in Sophista et Politico identidem facta erat. Et recte sane. Enimvero quemadmodum in Politico natio eorum, qui laudem scientiae civilis temere appetere iudicantur, e regione posita est vero germanoque sapienti, qui unus merito suo censetur politici nomine dignus esse; ita etiam sophistae illi, qui in eo quod non est habitare iudicatur, verus philosophus opponendus fuit, hoc est is, qui idem esset germanicus dialecticus, quique unice in eo, quod vere est, contemplando summo studio occuparetur. Atque hoc nostra quidem sententia factum est in Parmenide*). Nam in hoc libro qui repraesentatur philosophus, is sophistae illi, in cognomini sermone prae oculis posito, prorsus ex altera parte respondet. Quippe ille nihil aliud nisi fraudem et fallacias consectatur ideoque in eo potissimum, quod non est, versari dicitur; hic vero perpetuo id agit, ut eius, quod vere est, vim rationemque omnem indaget et exquirat, nihilque intentatum relinquit, quo ad veri intelligentiam perveniatur. Quod ut non perviderent homines doctissimi, effectum maxime eo est, quod in hoc libro non hospes iste Eleaticus loquens inducitur, quem in Sophista et Politico disputantem audimus, sed ipse Parmenides, summus ille scholae Eleaticae magister, qui cum Socrate sapiente, sed tunc adhuc adolescente, de rebus longe gravissimis colloquitur. At enim vero id ipsum, si rem accurate perpendas, prorsus egregie ad rem praesentem accommodatum esse iudicari oportet. Nam ita primum quidem qui gravissimus habebatur doctrinae Eleaticae auctor atque princeps vim rationemque *οὐσίας* omnem exponit, et quidem sic exponit, ut denique Eleatarum et Pythagoreorum opiniones ad Platonis sententiam referantur: deinde iuvenis Socratis exemplo docetur, quisnam ille sit, qui indole et natura vere philosopha praeditus esse existimari debeat, quandoquidem senex Parmenides Socratis iuvenis ingenium vehementer admiratur adeoque auguratur, eum aliquando, sicubi in vero quaerendo nullius rei investigationem reformidet sed suis omnia ponderet momentis, ad

*) Diximus de hac re explicatius Prolegg. ad Sophist. p. 45 sqq. In eandem sententiam eodem fere tempore, quo ista scripsimus, ZELLERUS devenit *Studior. Platonic.* p. 194 sqq. in eo tamen falsus, quod Parmenidi medium inter Sophistam et Politicum locum assignavit.

summam perfecti philosophi laudem facile esse perventurum *). Postremum nimirum facile apparet eo pertinere, ut quum ipse Parmenides et singulari ingenii acumine et veri reperiendi studio maximo excellat, tamen Socratem eum esse significetur, in quo vis animi ingeniique philosophi maxime eluxerit. Quamobrem in utroque simul veri philosophi imaginem expressam cerni, altero iam adulto atque sene, altero adolescente, in optimam futuri temporis spem excrescente, si non dilucide pronunciatur, at certe non ita obscure ostenditur. At enim vero, inquit aliquis, qui tandem fieri potuit, ut in locum Eleatae repente succederet Parmenides, cum Socrate adhuc iuvene de gravissimo argumento disputans? Nimirum hic diligenter est reputandum, Cephalum quendam Clazomenium induci loquentem, qui familiaribus ipsum tacite audientibus sermonem iam ante multos annos Athenis habitum exponit. Quo profecto efficitur, ut, etiamsi scena dialogi praeter expectationem mutata sit, tamen nihil magnopere offendamur, siquidem existimare licet eosdem illos homines, qui in Theaeteto, Sophista et Politico familiariter conversati sunt, etiam hic Cephalo dare operam eiusque narrationem audire. Atque hinc tandem certissime perspicietur, quorsum illud pertineat quod Socrates in Theaeteto p. 183. E. et in Sophista p. 217. C. narrat sese olim adolescentulum cum sene Parmenide de istiusmodi rebus sermones contulisse. Manifestum est enim tecte significari Parmenidem, cuius scriptionem Plato quo tempore ista enunciavit iam meditatus est.

Sed haec de Politici cum tribus illis, quos diximus, libris necessitudine et coniunctione**). Quae qui diligenter perpenderint, ii facile largientur vere nos supra iudicavisse, pendere eam fere ex rebus fortuitis, neque disputationis in Politico habitae argumentum tale esse, quod cum quaestione de scientiae fontibus deque essentiae rationibus in Theaeteto, Sophista et Parmenide agitata arctiore quodam vinculo contineatur. Quid igitur? qui tandem factum esse putabimus, ut philosophus illum librum

*) V. Parmenid. p. 130. A. sqq.

**) Quae SCHLEIERMACHERUS Praefat. ad Politic. p. 262 sq. de Politici cum Euthydemo, Cratylo et Protagora necessitudine exposuit, ea quoniam vel incerta ve falsa videntur, hic respicienda aut examinanda non putavi.

cum tribus reliquis consociaverit et in unum coniunxerit? Dicam equidem quod sentio. Etenim haec opera omnia sicuti tempus originis habuerunt commune, ita etiam communiter a Platone editioni destinata sunt. Nam quo tempore philosophus in eo fuit, ut varias de veri iudicio opiniones exploraret et ad suam ipsius sententiam referret, eodem in scientiae civilis commentationem delatus est, adiutus ea in re atque confirmatus etiam a Pythagoreis, qui de rebus ad civitatum administrationem pertinentibus sentirent magnificentius. Horum autem studiorum fructus quis est qui dubitet eum quam primum voluisse edere et cum popularibus suis communicare? Etenim multum sane ipsius interfuisse videtur, ut quum primum in patriam rediisset, non modo intelligeretur, quid quantumque esset quod in peregrinationibus ad sapientiae disciplinam profecisset, verum etiam de suo rerum publicarum iudicio publice constaret. Quamobrem quae de his rebus omnibus tunc commentatus erat, ea coniunxit artificiosius. Nam opera tanquam secundaria etiam sophistam, virum civilem et philosophum constituit depingere; quod quidem ita perfecit, ut quomodo philosophus verus et germanus quum a viris vulgari iudicio in republica claris tum a sophistis distinguendus sit, clarissime appareat. Nam philosophus, etsi secundum ipsius sententiam maxime dialecticus est, tamen idem iam in Politico, quatenus in publicae vitae luce versatur, adumbratur ac depingitur; in Parmenide autem denique ut acerrimus veri explorator, qui id quod est subtilissime summoque cum studio exquirit, informatur. Atque hoc artificio Plato id consequutus est, ut quasi vinculum aliquod nanciscceretur, quo opera ceteroquin argumenti dissimilis ac plane diversi apte continerentur. Id vero quo firmius videretur esse, in Sophista et Politico simul Eleaticam disserendi viam rationemque ob oculos collocavit, quam ut inprimis respiceret, item temporum rationes effecisse existimandae sunt. Nam ex quo Megaris degerat, ipsum subtilis iste artis dialecticae usus adverterat, quem Megarici, Eleaticorum sequuti exemplum, praeter ceteros tenere visi sunt.

Sed hoc ipsum nos admonet, ut ad eum locum accedamus, quo de disserendi genere in Politico conspicuo disputatum iri significavimus. Et possumus sane iure quodam nostro iam tandem

ulterius progredi, siquidem de temporibus, quibus hunc librum et scriptum et editum esse verisimile sit, ita exposuimus, ut quod addendum videatur, nihil amplius habeamus. Effecisse autem videmur, ut liber intra Olymp. 96. a. 2. et Olymp. 98. a. 1. scriptus nec ita multo post in lucem editus esse existimandus sit, eamque sententiam nostram ostendimus esse talem, cui dialogi argumentum atque adeo eius cum Theaeteto, Sophista et Parmenide nexus et copulatio quammaxime conveniat. Unde sicuti rationi nostrae plurimum praesidii et firmamenti accessit, ita vicissim iam Platonico operi nonnihil lucis admotum esse non inepte videmur statuere. Et vero etiam iis, quae porro de eo exponenda sunt, aliquantum hinc lucis affundetur. Verum aggrediamur ad id, quod supra diximus dehinc a nobis tractatum iri.

CAP. IV.

Agitur de disserendi genere in Politico regnante, et quorsum illud pertineat ostenditur.

Est vero disserendi ratio, quae in Politico dominatur quaeque ei cum Sophista fere communis est, longe dignissima, de qua peculiari opera disquiratur. Videtur enim adeo esse singularis, ut universo operi afferat speciem sanequam admirabilem et a reliquorum sermonum Platonicorum, si ab uno Sophista et Parmenide discesserimus, forma et venustate plurimum abhorrentem. Nam exceptis paucis quibusdam locis, de quibus mox disseretur, plena hic omnia sunt acutis ac subtilibus generum in formas ipsis subiectas divisionibus; plena item argutis conclusiunculis et argumentationibus; plena denique partiendi atque definiendi spinis densissimis, ut librum legentes plane nobis videamur quasi in dumeta horridae cuiusdam dialecticae pervenisse. Quid igitur? quamnam tandem caussam et rationem esse putabimus, cur Plato praeter morem et consuetudinem suum tam singulari disputandi genere usus sit? qui factum esse censebimus, ut iam relicta illa Socratica disserendi facilitate et elegantia tam tristem et paene morosam dialecticam susceperit? quid denique ipsum in eo sequutum esse arbitrabimur, quod missa Socratica disputandi ratione, qua in Theaeteto adhuc usus est, plane diversum disputandi genus adhibuit? Longi hic esse possumus in

confutandis aliorum de his rebus opinionibus *). Sed praestat vitatis ambagibus breviter indicare, quid ipsi de hac re sentiamus, ac deinde sententiae nostrae reddere rationem, si forte fieri possit, ut eam aliis quoque persuadeamus. Censemus autem Platonem in his libris Megaricorum dialecticam, inprimisque dividendi rationem ab iis usurpatam, tanquam illustri aliqua imagine repraesentavisse in eaque re similiter esse versatum atque in exponenda iudicandaque eorum doctrina fecit. Etenim adumbravit eam et quam potuit fidelissime imitando expressit, ut legentes haberent, unde de eius vi et usu iudicarent; verum eadem opera etiam quaedam eius notavit vitia eamque demonstratis mali acuminis fraudibus emendavit emendatamque quodammodo cum Socratica ratione conciliavit. Quae ne videamur nostro tantum arbitratu ita statuisse, primum verisimile reddere conabimur, hospitem Eleaticum, qui loquens inducitur, more Megaricorum disputare; deinde id sic fieri ostendemus, ut in eo simul lenis quaedam et urbana cavillatio cernatur, siquidem etiam fraudes quaedam et errores illorum significantur; denique docebimus, etiamsi in ea re reprehendendi ridendique consilium manifestum sit, tamen disserendi viam et rationem eam teneri, undo appareat, quomodo Eleatica ista disserendi methodus, sublatis eius vitiis quibusdam, cum Socratica elegantia et humanitate coniungi copulariue possit. Quibus explicatis speramus fore, ut quae doctissimis hominibus in toto hoc disputandi genere, quod Politicus cum Sophista commune habet, molesta acciderunt, ea idoneis caussis atque rationibus niti sponte intelligatur.

Ac primam quidem partem huius disputationis, qua Megaricae dialecticae vestigia demonstrare propositum est, ultro fatemur fere mera niti coniectura ideoque pertinere maxime ad efficiendam verisimilitudinis probabilitatem, non item ad exploratae veritatis fidem et evidentiam. Cuius rei caussa posita in eo est, quod quae de Megaricorum arte dialectica accepimus, sanequam

*) Veluti SOCHERI *De Scriptis Platon.* p. 262 sqq. 269 sq. ASTII *De Vita et Script.* Plat. p. 233. inf. et seq. super., qui Platonem putat disserendi rationem in Sophista usurpatam a reprehensionibus adversariorum in Politico vindicari, id quod statuit etiam HERTELIUS l. c. p. 23. HEUSDII *Characterism. principum philosophor.* p. 126 sq. *Init. Philosoph. Platon.* Vol. II. Part. II. p. 104 sqq. ut alios taceamus.

sunt paucissima, quodque ipse Plato non satis aperte significavit, quid insolito isto disserendi genere sibi voluerit. Quodsi igitur in hac explicatione nostra ἀνάγκη illa persuadendi, quam philosophus alicubi dixit, desiderabitur, facilem nos speramus eius rei veniam apud aequos iudices inventuros esse.

Ac primum quidem ipse ille hospes Eleaticus, quem Plato loquentem induxit, aliquem in eam deducat suspicionem, ut Megaricorum dialecticam ab eo tanquam imagine aliqua repraesentari existimet. Nam etsi ille Sophist. p. 216. A. B., ubi mores eius et ingenium describuntur, dicitur esse Eleaticus, isque non pugnaci isti Eristicorum nationi accensendus, sed lenius illis ac moderatius in disserendo agere solitus; tamen, si faciem eius habitumque omnem propius consideraverimus, item videbitur esse Megaricus esse, hoc est, simul etiam Megaricorum partes agere. Quippe disputans ille sic inducitur, ut disserendi via et ratio, qua utitur, prope quidem ad Parmenidis et Zenonis morem et consuetudinem accedat, veruntamen ab eodem etiam aliquantum dissideat. Quid igitur? qui tandem fit, ut dialectica ista, quam ex arte factitat, in magna dissimilitudine tamen illi rationi sit simillima? Nimirum habet id, si quid videmus, explicationem ex eo, quod Megarici inventam ab Eleatis artem susceperunt susceptamque inventis suis locupletarunt et ad maiorem quandam perfectionis laudem excoluerunt. Hoc vero quum ita sit, quid inde sequatur, sponte apparet. Verisimillimum fit enim, ne dicam certum, Eleatam apud Platonem in disserendo eorum sequi rationem ac disciplinam, qui post Zenonis aetatem omnem dialecticam ingenii sui solertia reddidissent perfectiorem, hoc est Megaricorum, quos in hac ipsa re constat studiosissime elaboravisse. Quanquam non est negligendum, quod fingitur alienissimus ab illa disputandi rabie, qua permultos Megaricorum ita flagrasse constat, ut iam Euclidis aetate nomen Eristicorum, parum illud honorificum, accepisse videantur. Enimvero disputat ille quidem ex Megaricorum ratione et consuetudine, sed disputat caute, moderate, prudenter, denique sic, ut pugnacibus contentionibus nihil, veri reperiendi studio ac disserendi subtilitati omnia tribuat. Quod quorsum pertineat, ad iudicandum non est difficile. Neque enim philosophus litigiosam istam sapientiam voluit

depingere, quam multi temere amplexati erant; quippe istam satis habuit initio Sophistae paucis castigavisse; sed imitatione exprimere constituit eam disserendi methodum, quae dialecticae subtilitatis laudem ita tueretur, ut ad veri pervestigationem valeret atque contenderet. Eam vero nec germanis Megaricis ipsique Euclidi displicuisse aut ignotam fuisse, facile credent qui legerint Spaldingii Vindicias Megar. p. 3 sqq. Ita igitur ex his non temere coniicias, disserendi rationem istam, quae in Sophista et Politico hospiti Eleatico tribuitur, non esse aliam quam quae ad Megaricorum praecepta et instituta comparata sit.

Atque hoc ita esse etiam ex eo suspicari licet, quod Plato in scribendis dialogis suis eorum inprimis habuit rationem, quae quo tempore scripsit, ipsi quasi ob oculos versabantur atque cum praesenti philosophiae statu et conditione maiorem quandam videbantur habere coniunctionem et necessitudinem. Quid igitur? num eum putabimus pictura ista sua dialecticae in Sophista et Politico conspicuae ipsum Parmenidem ac Zenonem aut eos, qui hos pressius sequebantur, significare voluisse? Nimirum id quidem adeo abhorret a verisimilitudine, ut nihil magis possit. Perinde certe est, ac si quis his nostris temporibus aliquem Wolfianorum, qui ante Kantium in patria nostra maxima floruerunt auctoritate, imitanda eorum demonstrandi via aequalibus ante oculos ponere velit, scilicet eorum probandi et argumentandi consuetudinem descripturus. Quamobrem Platonem multo est verisimilius ad eos respexisse, qui Eleaticam disserendi rationem eo ipso tempore, quo hos libros scripsit, ita usurpaverint, ut eam etiam studiosius excoluerint et perfecerint. Id autem quis est quin sciat praeter ceteros fecisse Megaricos? Nam quod etiam Sophistae quidam Eleatico disputandi genere usi sunt, certe hi in his Platonis libris neutiquam videntur respectari, propterea quod eo maxime ad tricas et praestigias abusi sunt, maiore quadam arte ac diligentia disserendi caruerunt. Ac Megaricos potissimum ob oculos versatos esse Platoni, ipsa tempora reddunt verisimile, quibus Sophistam et Politicum ab eo scriptum videri antea disputavimus. Versatus enim tunc ipsum aliquamdiu Megaris erat et quomodo Euclides eiusque familiares in disserendo versarentur, ipso usu didicerat. Quid igitur? ecquis sibi persuadebit ipsum in iis libris, in quibus Eleaticorum atque Megaricorum de

vi ac natura rerum deque veri iudicio doctrinam exposuit expositamque taxavit, aliam adumbravisse disserendi formam ac speciem, nisi quam illis vidisset adeo placere, ut ea etiam vehementer delectarentur ac paene superbirent? Nimirum nostra quidem sententia id tanto minus est verisimile, quod et dialecticam Megaricorum novimus statim ab ortu suo ad magnam famae celebritatem pervenisse et Platonem constat de disserendi disciplina sensisse tam honorifice, ut perfecti dialectici munus idem voluerit esse perfecti philosophi.

At vero, inquit aliquis, cur tandem is, qui primarii disputatoris in his sermonibus partes sustinet, ab ipso Platone non Megaricis, sed Eleaticis potius annumeratur? Potuitne ille aut potius debuit vero nomine suo appellari Megaricus? Nam ita certe futurum erat, ut librum legentes insolentis istius disserendi rationis caussas protenus perspiceremus. Audio equidem, et verum esse confiteor quod ea de re admonetur. Sed idem ego praefracte nego Platonem inepte fecisse, quod disputatori suo Eleatici personam imposuit. Nam primum quidem populares ipsius vel sic poterant novisse et intelligere, quatenus disserendi genus, quod disputationi suae adhibuit, ad Megaricorum consuetudinem referretur. Deinde prudenter hominem iussit esse Eleaticum, ne prorsus esset Megaricus, hoc est is, cui negre possent etiam ea attribui, quae a disciplina Megaricorum recederent. Multo igitur elegantius et urbanius designavit aliquem Eleaticum, qui liberiore sentiendi agendique ratione praeditus quum omnem Eleaticorum de veri iudicio doctrinam illustraret, tum etiam Megaricorum dialecticam ita probaret, ut quantumvis eius usui adsuefactus tamen quatenus vel emendanda vel perficienda esset, ipse facile sentiret et ex parte perviderit. Huc accedit quod eundem Eleaticum potuit etiam de rebus civilibus disputantem inducere, quod propemodum fuit necessarium, quum propter eas, quas in superioribus attigimus, caussas eadem opera sophistarum, politicorum et philosophorum discrimen illustrare constituisset. Nam Megaricorum principes quum nusquam legamus attigisse rempublicam, tum Eleaticae scholae magistros liquido testatum habemus a rerum publicarum cura haudquaquam abhorruisse. Parmenidem certe atque Zenonem accepimus Eleae, patriae suae, leges scripsisse sapientissimas, id quod magna

consensione testantur Strabo VI. p. 352. Plutarch. adv. Colot. p. 1126. A. Diogen. Laert. IX. §. 23. Ac simile quiddam etiam de Melisso Samio narratur, de quo v. Plutarch. l. c. Ex his igitur perspicuum esse putamus, quo iure Plato Eleatam illum, qui de vi et natura eorum, quae sola mentis cogitatione comprehenduntur, disserit, etiam de civitatum gubernatione et rerum publicarum moderatoribus disputantem facere potuerit.

Verum redeamus illuc, unde paene inviti digressi sumus, atque alio etiam argumento confirmare studeamus, disserendi viam et rationem, quae in Sophista et Politico conspicua est, ad Megaricae scholae consuetudinem esse attemperatam. Considerabimus enim iam tandem ipsam illam accuratius, et videamus, num quid proprium habeat, quod in Megaricorum potissimum rationem ac disciplinam convenire existimandum sit. Quod si ita esse invenerimus, quantum inde opinio nostra praesidii ac firmamenti habitura sit, facile intelligitur. Itaque primum videamus, quale tandem sit genus istud disputandi, quod in Sophista et Politico usurpatur; deinde illud commodissime ex Megaricorum decretis quibusdam declarari atque illustrari posse docere conabimur.

Et in exquirendis quidem dialecticae in his dialogis usurpatae proprietatibus magnopere cavendum est, ne iudicium nostrum locorum dissimilitudine conturbetur, in quibus illius species et forma expressa cernitur. Nam alii de industria ad Socratici sermonis similitudinem compositi sunt, ut obscuriora tantum dialecticae severitatis vestigia habeant; alii autem sunt eiusmodi, ut in iis prorsus ex artis legibus disputetur ideoque ea spernantur omnia, quae non ad argumentandi subtilitatem pertineant, cuiusmodi loci in Politico sunt p. 258. C sqq. 274. D sqq. 275 sqq. Apparet igitur in explorando iudicandoque disserendi genere, quod usurpatur, horum potissimum rationem esse ducendam, ita tamen, ut item exquiratur, cur ceterorum alia forma ac species sit; de qua re mox explicabitur. Considerabimus igitur nunc hos locos diligentius atque videamus, quid in iis proprium habeat disputatio et quid ea differat a sermone Socratico, cuius elegantiam et venustatem in plerisque aliis Platonis operibus summa cum voluptate admiramur.

Et accedentibus quidem ad eorum contemplationem primo statim adspectu et tanquam ultro haec nobis occurrunt. Aguntur omnia tristius ac severius, quam alibi apud Platonem fieri solet; regnat spinosum quoddam et aculeatum genus argumentandi, prima certe specie sophistico non absimile; coacervatur ingens vis et multitudo minutarum divisionum, quarum alia protenus ex alia deducitur; relicto interdum principali disputationis argumento, res vulgares et omnibus in medio positae disceptantur, ut scilicet inde subtilitatis dialecticae ducantur exempla, ad quorum similitudinem rationemque componatur disputatio de rebus difficilioribus et reconditioribus instituenda; denique pleraque omnia arguta quadam et concisa brevitate exquiruntur atque pertractantur, ut nemo futurus sit, qui hic Socraticum quiddam audire sibi videatur, quilibet protenus disputatorem aliquem de schola certae cuidam disserendi rationi adsuefactum facili negotio agnoscat. Et haec quidem primo statim adspectu animadvertentur. Sed alia se nobis offerent accuratius etiam locos illos intuentibus. Prorsus enim dominatur hic illa definiendi ratio, quae vulgo appellatur analytica. Nam quarum rerum investiganda notitia est, earum semper genus aliquod universum et commune ponitur, quod formas sui similes tanquam partes in se complectatur. Hinc vero ordine deinceps ad formas ei subiectas rimandas explorandasque descenditur, usque dum perveniatur ad id, cuius notio definitionis subtilitate investiganda ac circumscribenda est. Haec igitur ea ratio est, quam quum per totum fere Sophistam et Politicum, tum in iis inprimis locis animadvertere licet, in quibus ex artis legibus omnia disquiruntur. Ea vero quamnam vim habeat quidve efficiat, in promtu et propatulo esse arbitramur. Efficit enim haec duo, ut genera dividantur, formae secernantur. Itaque neutrum horum ab Eleata negligitur. Nam et in dividendis generibus ille versatur subtilissime, et formarum secernendarum artificium tam callide periteque illustrat, ut omnem rei rationem deliberato consilio aperire ac patefacere velle videatur. Quod quidem ita esse, vel duo illi loci Politici docebunt, p. 258. C sqq. et 277. D sqq., quorum alter in dividendi, alter in secernendi arte illustranda maxime occupatus est, quanquam utrumque utroque loco quodammodo fieri necesse est. Est autem divisio, qua utitur Eleates, perpetuo huic adstricta legi, ut no-

tiones semper diffindantur bifariam, eaque illarum series ordine deinceps pervestigetur, quae ad rem definitione explicandam denique perductura videatur. Quam quidem legem ille tam constanter observat, ut ne semel quidem ab ea discessisse reperiatur. Enimvero est haec ratio profecto longe simplicissima, ut mirum non sit, eam ab iis, qui hanc dialecticae partem primi excoluerunt, praecipue usurpatam esse. Nam quominus aliam esse huius rei caussam existimemus, illud impedit, quod in ipsa divisionum natura nihil potest animadverti, unde ea probabilius explicetur.

Haec igitur est ratio dialecticae Sophistae et Politico Platonis propriae; nam de Parmenide infra dicetur. Tota ea versatur in exquirendis per divisiones rerum notionibus, ita quidem, ut secernantur simul, quae ab earum rerum, de quibus quaeritur, vi et natura aliena sunt. Sed ad cognoscendam eam atque iudicandam accuratius etiam aliud quid teneamus necesse est, quod pertinet ad eius usum et exercitationem. Significat enim Eleates, ut iam antea diximus, identidem, ad rerum difficiliorum quaestiones feliciter profligandas opus esse, ut quid disserendi subtilitas postulet, in rebus levioribus et ad perspiciendum facilioribus cognoscatur. Itaque saepenumero ita facit, ut dialecticae exercitationis caussa res vulgares et primo certe adspectu ad rem praesentem nihil pertinentes perquirendas suscipiat easque tanta diligentia ac tanta subtilitate perscrutetur, ac si agatur de rebus longe gravissimis et scitu dignissimis. Cuius rei exempla sunt Sophist. p. 218. E sqq. 221. C sqq. 225. A sqq. 226. B sqq. 227. A sqq. Politic. p. 279. A sqq. coll. p. 278. E., quo loco de exemplorum usu in disserendo praeclare exponitur. Quae quis dubitabit quin et ipsa pertineant ad perficiendam illam dialecticae imaginem, cuius partem modo adumbravimus? Nec profecto diu quaerendum, quid rei sit. Manifestum est enim ob oculos poni eum disputatorem, qui quum arti tum subtilitati dialecticae tribuit omnia, in eiusque usu et exercitatione tanto incensus est acuminis ostentandi studio, ut dummodo facultatis dialecticae laus aliqua comparetur, ne a minutarum quidem ac levium rerum pervestigatione abhorreat nec ulli quaerendi labori parcendum statuat. Quae si cum iis, quae antea de ipsa dialectica exposuimus, consociaveris et in unum coniunxeris, facile videbis,

opinor, qualem Plato totam hanc disputandi rationem finxerit et informaverit. Describitur enim ea disserendi facultas et consuetudo, quae quum subtilissime dividendis cernendisque notionibus vim naturamque rerum indagare ac definire soleat, tum etiam cum diligentissima certae cuiusdam methodi, quam vocant, observatione insignique subtilitatis studio coniuncta sit.

Atque haec quidem est forma quasi atque species dialecticae illius, quam in Sophista et Politico animadvertimus. Quam quidem contemplantes et cuiusnam scholae disciplinae ea conveniat nobiscum reputantes magnopere in ea opinione confirmati sumus, ut totam ad Megaricorum praecepta et instituta conformatam esse existimemus. Cuius iudicii nostri caussas et rationes accuratius exponere tanto magis opus putamus, quo plus eius rei demonstrationem ad id valere censemus, ut de tota caussa recte statuatur.

Et de eo quidem nobis licebit esse brevissimis, quod hospes Eleaticus et methodo disserendi suae et subtilitatis laudi tribuit plurimum. Est enim hoc profecto eiusmodi, ut vel maxime in eos conveniat, qui vel propter artificia, quibus utebantur, dialectica, vel propter studii ardorem, quo omnia acute subtiliterque perquirebant, iam mature Eristicorum nomen acceperunt*). Sed copiosiorem disputationem requirunt illa, quae de via ac ratione disserendi in Politico et Sophista conspicua explicavimus. Haec enim ut dilucide appareat cum Megaricorum ratione ac disciplina plane consentire, res repetenda est altius, atque demonstrandum, totam illam disserendi rationem cum aliis scholae Eleaticae decretis ita congruere, ut inde tanquam ex fonte suo manavisse videatur. Hoc igitur nunc ita agamus, ut ea in re ipsum Platonem potissimum sequamur ducem.

Constat igitur Euclidem ceterosque familiae Megaricae principes sententiam Eleaticorum comprobavisse, qui id quod esset unum et rerum omnium vim naturamque complecti et mentibus nostris afferre veritatis scientiam et cognitionem volebant. Sed quum ea in re cum illis egregie consentirent, tamen uno illo Ente, quod Graece τὸ ἓν sive τὸ ὄν dicebant, neutiquam acquieverunt. Sentiebat enim iam princeps familiae, Euclides,

*) V. Deycks. *De Megaricis* p. 7 sq.

id unum si vere esset et scientiam efficeret, cognitionis humanae fines ac terminos adeo fore angustos, ut praeter eius quod esset naturam nihil cogitare et intelligere liceret. Itaque sequutus notionum menti humanae impressarum observationem, cui ipsum Socratica institutio ac disciplina adsuefecerat, uni illi naturae, quam esse volebant Eleatae, tanquam summo generi etiam generum et formarum vindicavit multitudinem, ut inde innumerae emergerent species sive ideae, in quibus rerum vis ac natura contineretur. In quo etsi proxime sane accessit ad Platonis sententiam, tamen cum eo de una re eaque longe gravissima vehementer dissensit. Nam quemadmodum Eleaticae scholae auctores, imprimisque Parmenides et Zeno, ei quod unum esset unitatis constantiam acerrime vindicaverant, ut omnem ab eo removerent varietatem relationis, ita Euclides et qui eum sequuti sunt ducem, etiam ideas suas voluerunt esse unitates, hoc est species in se absolutas, quae seorsum per se constarent nec ullam ferrent necessitudinis adiunctionem, quam Plato iis iudicavit utique esse tribuendam. Fuisse hanc Megaricorum sententiam, ab ipso Platone discimus Sophist. p. 246. B sqq. 248. A sqq. et 249. C seq., ubi quae disseruntur, etsi olim ignoratum est quorsum pertineant, tamen nos quidem censemus verum acute pervidisse Schleiermacherum, qui ea ad Megaricos spectare iudicavit. Quam viri praeclari sententiam nuper ita confirmare conati sumus Prolegomm. ad Sophist. p. 9 sqq. ut ea in re etiam Aristotelis testimonio usi simus ab illo male neglecto*). Atque ex hac una maxime re lucem suam nanciscitur genus istud disserendi, in Sophista et Politico Platonis ab hospite Eleatico usurpatum, quod plane Megaricum esse arbitramur. Quid enim? qui notionum sive idearum unitatem ita tenebant ac tuebantur, ut eas nullo pacto subire vellent aliquam coniunctionis necessitudinem, ii nonne consequens esse oportuit ut etiam in argumentando ac definiendo istud unum suum potissimum intuerentur ex eoque omnia pendere iudicarent? Id vero si ita fecerunt, non potuerunt

*) Locus Aristotelis est Metaphys. XIV. 4. pag. 301. ed. Brandis. *τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας εἶναι λεγόντων οἱ μέν φασιν αὐτο το ἓν τὸ ἀγαθὸν, αὐτὸ εἶναι οὐσίαν μέντοι τὸ ἓν αὐτοῦ ᾠηντο εἶναι μάλιστα.*

profecto aliter facere nisi sic, ut ex illo ipso omnia repeterent ac deducerent, hoc est, generaliores notiones in formas suas dissolverent et in argumentando pariter atque in definiendo a summis generibus ad formas iis subiectas descenderent, nihil autem assumerent extrinsecus, quod cum illis tanquam alienum quiddam coniungeretur. Nam qui ideas ponebant esse unitates absolutas nullamque cum aliis subeuntes coniunctionem, eos denique eo devenisse consentaneum est, ut id tantum cuilibet rei attribui posse putarent, quod aut naturam eius penitus aequaret aut in ea tanquam aliqua totius pars velut inclusum et involutum teneretur. Probaruut igitur unice identica, quae vocantur, iudicia atque analytica; reiecerunt, in disserendo certe, quae dicuntur synthetica*). Quod quidem ita esse discimus ex PLUTARCHO adv. Colot. p. 1119. C. = p. 573. Vol. I. ed. Wyttenb., ubi Stilpo inprimis multus fuisse narratur in exornanda eorum sententia, qui suam cuique rei et rationi proprietatem ita constare volebant, ut aliud quid nisi quod inesset in ipsius vi et natura de ea dici ac pronunciari posse negarent; discimus item ab ipso Platone, qui ubi de idearum agit connexione, huius opinionis ita facit mentionem, ut Eleaticos et Megaricos, a quibus Sophistae quoque hanc sententiam videntur arripuisse, vel lenius irrideat vel apertius carpat ac perstringat. Quam in rem contulisse iuvabit Parmenid. p. 128. E sqq. Phileb. p. 14. C sqq. Sophist. p. 259. B sqq.**). Nimirum his locis omnibus etsi reprehenduntur tantum ii, qui severius agentes nihil statuebant de quaque re dici posse nisi id unum, quo ipsa eius natura absolveretur, tamen in eodem numero habendi sunt, qui similiter sentientes ea tantummodo volebant rebus posse attribui, quae naturae ipsarum essent propria. Quod Megaricis quoque placuisse, res ipsa indicat. Quamobrem verissime SCHLEIERMACHERUS Opp. posth. Vol. IV. P. I. p. 94 sq. haec de iis scripsit: „*Dieselbe Tendenz, jeden Gegenstand total, aber nur in-*

*) De his iudiciorum generibus veteribus philosophis non ignotis v. I. C. SCHWAB, *Beweis, dass den griechischen Philosophen der Unterschied zwischen den analytischen und synthetischen Urtheilen nicht unbekannt war;* quae disputatio inserta est EBERHARDI Horreo Philosoph. anni 1793. Vol. II. p. 112 sqq.

**) V. Prolegg. nostra ad Parmenid. p. 37 sqq.

nerhalb seiner Sphäre aufzufassen, haben auch wohl zwei gewöhnlich nur sophistisch gescholtene Kanones, die das Verhältniss des Subjectes zum Prädicat betreffen, nämlich: Man könne von keinem Subjecte etwas prädiciren, was über dasselbe hinausgehe, also nur Theile, oder rein identisch jedes von sich selbst. Die angeführten Beispiele sagen sogar nur letzteres. Allein ersteres ist nach obigem Kanon dasselbe.“ Haec igitur quum in disserendo sequerentur, mirum profecto nemini accidet, quod ea ratione versati sunt, ut a generalioribus notionibus ac sententiis exorsi ad singularia descenderent, eamque disputandi viam quum in argumentando tum in definiendo tenuerunt. Et in argumentando quidem quomodo versati sint, perspicue edocemur a DIOGEN. LAERT. II. §. 106., cuius verba nuper in Prolegg. ad Parmenidem Platon. p. 314 sqq. tractavimus. Solebant enim, ut fit in Parmenide, adhibita hypothetica disputandi forma, ordine perpetuo conclusiones ex conclusionibus elicere, donec perventum esset ad id, quod argumentando effici vellent. Quod quis est quin videat prorsus cum eorum de notionibus sive ideis sententia concordare, de qua antea explicavimus? Similiter igitur etiam in definiendo versati sint necesse est, ideoque hic quoque eam tenuerunt viam, ut a summo genere eius rei, de qua quaereretur, exorsi pedetentim ad exquirendas formas illi subiectas proficiscerentur iisque recensendis id, quod definitione circumscribendum videretur, subtiliter ab aliis rebus distinguerent ac secernerent. Hanc vero rationem in Sophista et Politico Platonis tanquam viva quadam imagine expressam cernimus, sicuti vel unus ille locus Politici p. 258. C sqq. luculente docet, ubi Eleates virum rerum civilium cognitione praeditum investigaturus, quoniam ratio ac disciplina civilis artis ac scientiae generi subiecta sit, a summo scientiae genere repetit atque formas eo comprehensas perpetua serie persequitur; sed docet praeterea totus fere Sophista iuxta cum Politico. Atque hinc colligimus utique definiendi ac dividendi viam ac rationem in his libris regnantem non esse aliam nisi Megaricam aut saltem ad Megaricae rationis similitudinem quam diligentissime comparatam. Idque tanto confidentius pronuntiare audemus, quod etiam coniunctio ac necessitudo horum scriptorum cum Parmenide eam sententiam non

mediocriter confirmat. Nam in Parmenide certo exploratum habemus concludendi et argumentandi rationem usurpari ad Megaricorum consuetudinem diligenter attemperatam. Iam vero in Sophista et Politico quae regnat definiendi ratio, ea, si summam rei spectaveris, haud sane alio nititur fundamento. Quum igitur hi libri argumenti quadam cognatione contineantur, consequens esse putamus, ut in iis omnibus Megaricam disserendi artem imitando expressam esse suspicari liceat. Atque hoc si recte iudicavimus, quo modo haec opera omnia inter ipsa etiam dialecticae nomine coniuncta sint, neminem fugiet. Nam in Sophista et Politico ars dividendi atque cernendi, sive analytice definiendi, in Parmenide autem concludendi et argumentandi ratio secundum Megaricorum praecepta et instituta ostenditur. Quibus libris quod praemissus est Theaetetus, in quo Socratica illa ars obstetricandi eleganter depingitur, id non sine idonea caussa factum esse facile apparet. Enimvero ita imago quasi quaedam Socraticae elegantiae et veri inquisitionis praemittitur, ad quam deinde Megarica ista subtilitas exigi et iudicari queat. Sed haec de re proposita satis sunto. Videmur enim, nisi plane fallit opinio, iam verisimile reddidisse Megaricam disputandi consuetudinem in his libris a Platone ad ipsam vitae veritatem adumbratam esse.

Hic vero quaerat aliquis, num Platoni ista ipsa, quam depinxit, disserendi ratio ita placuerit, ut nihil in ea reprehendendum vel emendandum putaverit. De qua re nos quidem sic existimamus. Universe quidem illa Platoni quoque probata est, id quod luculente patet ex iis locis, in quibus de arte dialectica eiusque exercitatione uberius praecepit, veluti Phileb. p. 16. D sqq. Phaedr. p. 265. D sqq. 270. D sqq. 273. E. coll. Sophist. p. 253. D. Polit. p. 285. A B. Nihilominus acute pervidit, multam in eius usu esse adhibendam prudentiam et cautionem. Quamobrem primum quidem eam censuit coniungi oportere cum ratione disserendi synthetica: deinde etiam fugiendum arbitratus est fraudum et fallaciarum periculum, in quod facile incurrere vidit eos, qui omnia studerent ad acutas subtilesque cogitandi atque argumentandi regulas exigere in eaque re acuminis laudem quaererent. Atque in Sophista quidem et Politico dubitari non potest quin philosophus id ipsum egerit, ut vitia et errores ex nimio isto

subtilitatis studio prognati viderentur ipsumque istud studium subtilitatis leniter traduceretur. Quod mirum est homines doctos adeo non perspexisse, ut in multos magnosque errores delapsi sint*). At enim vero qui omnia rimati fuerint diligentius, ii nobiscum facile agnoscent in plurimis vafrum callidumque familiarium quondam suorum monitorem urbanumque derisorem, qui disputationis partibus iis, in quibus ex artis legibus aguntur omnia, ea admiscuerit, unde quid in earum ratione desideraverit, facili coniectura auguremur. Duplex autem, si quid iudicare possumus, reprehensionis argumentum est. Primum enim vitia quaedam in ipsa artis exercitatione, sicuti videtur, apud illos non admodum infrequentia tecte quidem at satis tamen aperte notantur; deinde putidae et molestae diligentiae studium castigatur, cui singulari quadam subtilitatis cupiditate incensi mirum quantum fuisse dediti videntur. Utriusque igitur generis exempla percenseamus, quo magis huic sententiae nostrae fidem faciamus.

Risit igitur Plato atque explosit primum ipsam dialecticae istius exercitationem, quae in summa laudis ex subtilitate et acumine redundantis cupiditate tamen eas fraudes ac fallacias vel consectaretur vel admitteret, quas recta ratio minime ferre videretur. Nec tamen id fecit sic, ut suam ipsius aperte prodiderit sententiam, sed eo usus est artificio, ut Eleatae disputationi proterve quodam lusu falsa quaedam et a rectis iudicandi disserendique legibus abhorrentia immiscuerit. Nam quominus ipsum Platonem existimemus in istis omnibus stolide ruisse, certe illud prohibet, quod eum aliunde constat dividendi cernendique leges accurate cognitas habuisse. Peccatur vero ab Eleata maxime in eo, quod non ita raro ea profert divisionis membra, quae parum apta sunt ad id, de quo quaeritur, vel etiam ex rebus admodum levibus ac fortuitis suspensa, quodque ea ponit subinde, quae non possunt pro formis eiusdem generis coniugatis haberi, verum aliorsum pertinent. Cuius generis exempla, missa Sophistae consideratione, ex uno Politico depromsisse sa-

*) V. praeter alios HEUSDIUS Institutt. philosoph. Plat. Vol. II. P. II. p. 104 sqq. qui irrisionis vestigia nulla ex parte odoratus est. Primus aliquid irrisionis in his inesse sensit SCHLEIERMACHERUS Praefat. ad Politic. p. 252 sq. qui tamen sententiam suam non satis dilucide aperuit.

tis erit, de quo nunc cummaxime agitur. Defungemur tamen paucissimis, quum in promtu sint plurima, ne praeter necessitatem longiores fuisse existimemur. Pertinet igitur huc illud p. 263. E sq. ubi postenquam artem civilem animadversum est in communi animalium cerni pastione, protenus pastionis ars et scientia dividitur in *τὸ ὑγροτροφικὸν* et *τὸ ξηροτροφικόν*: quasi vero ad inveniendum id, de quo quaeritur, multum intersit, utrum animalia in sicco an in fluido vitam degant. Simili modo p. 265. B. pedestria animalia in duo dispescuntur genera, prouti aut cornuta sint aut cornu nullum gerant, ut scilicet rex denique pascat gregem cornibus mutilum. Quod quis est quin habere sentiat aliquid lepidae ac festivae cavillationis? Scilicet poterant eadem illa etiam in ungulata et non ungulata, crinita et non crinita, vellera gerentia et velleribus carentia dividi, siquidem ex istiusmodi rebus artis civilis laus atque virtus aestimanda esset. Porro manifestae irrisionis indicium habent quae p. 265. D sqq. disputantur. Ibi enim bipes animal in homines et aviculas dividitur, certe non alio consilio, quam ut generi humano ridicule tanquam alterum par genus anserum, anatum, aliarumque volucrium adiunctum videatur. Similiter p. 266. E sq. bipedum grex dissecatur in nudum et pinnatum, ut propemodum illam hominis definitionem admoneamur, quam a Platone aliquando in scholis propositam Diogenem ferunt lepide perstrinxisse. Iam vero quod p. 261. D. reprehenditur divisio animalium in bruta et homines, etsi vera sunt quae ibidem de discrimine inter formas generum atque partes totius rei constituendo exponuntur, tamen ea arguto errore ita diiudicantur, quandoquidem recte profecto animalia in bruta sive ratione carentia et in homines sive animalia ratione praedita dispertiri licet. Verum taedet plura de hoc genere commemorare, quum adeo sint frequentia, ut qui illos quos diximus locos paullo diligentius excusserint, facile ipsi innumera fere istiusmodi minutarum ac vitiosarum divisionum exempla animadversuri sint.

Sed praeter istas fraudes et fallacias in dividendo cernendoque admissas a Platone putamus etiam immoderatum quoddam subtilitatis studium notari ac reprehendi, quo Megaricos ductos fuisse vel Eristicorum nomen iis impositum arguit. Nam primum quidem quum cupide id agerent, ut in quaestionibus dif-

ficilioribus dialecticae methodi exempta ob oculos ponerentur, nihil fere curabant, quale id esset de quo disputaretur, neque dubitabant etiam res vulgares et in medio positas pervestigare; quae eorum ratio, ut ante diximus, non sine quadam irrisionis acerbitate memoratur Politic. p. 266. D. et Sophist. p. 227. AB. coll. Parmenid. p. 130. DE. Deinde vero etiam istas ipsas res ita cum pulvisculo excutiebant, ut eas opera laboriosissima perquirerent, iisque tantundem studii impenderent, quantum impendi oporteret iis, de quibus proprie quaestio instituta esset. Enimvero improba ista subtilitatis affectatio atque vehemens dialecticae laudis cupiditas eos videtur interdum eo usque transversos egisse, ut adeo eo nomine ridiculi et inepti evaderent. Atque id ipsum Platonem putamus significavisse eo, quod Eleatam fecit de iis rebus, quae exempli loco positae sunt, veluti de lanificio, putida fere diligentia, quae minima quaeque rimatur discrimina, copiosissime explicantem. Quod genus irrisionis ne putes a philosophi more et consuetudine abhorrere, simili certe modo in Cratylo et Euthydemo ingens coacervatur copia et multitudo ineptarum originationum argutarumque conclusiuncularum, ut philosophorum quorundam ratio ac doctrina ad ridiculum traducatur. Atque haec si tenemus, clarissime etiam apparebit quorsum locus ille Politic. p. 283. A. usque ad p. 287. B. referendus et quomodo intelligendus sit. Quem quod Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 253. censet eo pertinere, ut disserendi ratio in Sophista usurpata a reprehensione et castigatione adversariorum Platonis defendatur, fatemur nos plurimum discedere a viri acutissimi iudicio. Imo depingi illic putamus disputatorem dialecticae subtilitatis adeo studiosum, ut vel in longitudinis excusatione ridicule fiat longior et copiosior. Quamquam hoc quoque loco seria iocis mixta esse haudquaquam audemus ire infitias.

Verum satis de his. Nec enim iam dubitabitur amplius verum esse quod antea diximus, magnam certe partem eorum, quae disputantur subtilius, manifesta habere callidae vafraeque irrisionis signa et indicia, ut Platonem hac operis sui parte tristiores istos ac severiores scholae Megaricae assectatores urbane deludere voluisse pro explorato habendum sit.

Progredimur ad id, quod tertio loco docere propositum est. Putamus enim Platonem, etiamsi in depingenda Megaricorum dialectica cavillandi ridendique consilium secutus sit, tamen item id egisse, ut quid potissimum in dividendo cernendoque observari oporteret, illustri aliquo exemplo demonstraret, adeoque Megaricae disserendi artis cum Socratica elegantia et humanitate coniungendae viam ac rationem monstravisse. Quod quo artificio sit consequutus, paucis explanare operae pretium erit.

Ac primum quidem hic animadvertendum illud est, de quo iam antea diximus, hospitem Eleaticum, qui in Sophista et Politico disputat, eum fingi ac describi, qui quum dialecticae subtilitatis sit studiosissimus, eique plane adsuefactus, tamen nullo modo sit rixosus aut contentiosus aut pervicax et obstinatus opinionum semel susceptarum defensor ac patronus. Imo ille in fervidissimo disputandi ardore tamen item est lenis, urbanus, modestus, denique veri adeo amans, ut eius exquirendi studio atque arti omnia tribuat. Nimirum talis ingenii homini facile apparet rectissime etiam ea potuisse attribui, quae a scholae Eleaticae, cui addictus fuit, praeceptis et institutis aliquantum recederent, si modo ad verum reperiendum viderentur conducere. Itaque ille sic loquens inducitur, ut facile quidem agnoscas hominem certam quandam in disserendo viam et rationem mordicus tenentem; sed facile etiam animadvertas, paratum eum esse atque promtum ad errores, si quos senserit, libere notandos atque emendandos. Quin etiam pluribus locis ita sermones miscet, ut ultro relicta illa cui deditus est disserendi severitate liberius atque copiosius disputet et ad sermonum Socraticorum copiam et ubertatem transgrediatur. Quod quam eleganti iudicio sic a Platone factum sit, vix crederemus quemquam posse praeterire, nisi Socherum De scriptis Platonis p. 278. in hac ipsa re mirabiliter lapsum videremus. Is enim eo ipso, quod in uno Sophista et Politico hospes Eleaticus principales disputandi partes tuetur, suspicionem suam confirmari arbitratur, qua istos libros non a Platonis manu profectos esse aliis de caussis statuerit et iudicaverit. Nimirum ita error alius alium gignere solet. Nam qui Eleatae nostri personam accurate consideraverit, is non modo nihil insoliti aut inepti in ea animadvertet, verum etiam Platonis in ea adumbranda ac designanda solertiam lubentissime no-

biscum admirabitur. Sed transeamus ad ea, quae Plato Eleatam suum disputare iussit. Quae si perpenderimus accuratius, protenus apparebit item sic esse exposita, ut omnes elegantiae numeros habeant.

Ac primum quidem hic dignum est observatione, quanta ingenii solertia philosophus effecerit, ut quantumvis Eleatae errores nonnulli tribuantur, tamen id, de quo disputatur, denique recte inveniatur subtiliterque exquiratur. Etenim summo ille veritatis studio incensus vel in maximo erroris periculo tamen feliciter denique id attingit, quod attingere voluit, ut facile hinc intelligatur, quanta vis sit invicti illius veri amoris, quo tanquam animatus esse fingitur. Praeterea vero etiam eas fere admittit fraudes, quae, etsi disserendi vitia quaedam arguunt, tamen summae disputationis nihil afferant detrimenti. Quocirca postremo felici sane laboris sui successu et artis civilis vim naturamque exquirit, et quae sit philosophi in publicarum rerum luce constituti dignitas quaeque eius ab vulgaribus civitatum gubernatoribus diversitas, vere recteque diiudicat. Verum haec quum per se nihil valeant ad demonstrandam Megaricae dialecticae vel emendationem vel cum Socraticis sermonibus conciliationem et consociationem, alia memoranda sunt, unde eam Platonis propositam fuisse certius intelligatur. Pertinet autem huc ante omnia illud, quod Eleates non ita raro, si quid minus recte divisum aut conclusum videtur, id ipse corrigit et emendat, additis etiam acutis et prudentibus dialecticis praeceptionibus. Quorsum referimus praeter alia, quae p. 261. D sq. de formis inter summum genus et alias species interiectis non temere transiliendis, p. 262. A sqq. de formis notionum ad genera sua prudenter revocandis; p. 275. C sqq. de principio dividendi ex ea re petendo, cuius notio divisione investiganda est; p. 277. D sqq. de natura et usu exempli; p. 277. D sqq. de longitudine sermonum ex disputantium consilio aestimanda, de aliis rebus eiusmodi p. 283. B sqq. et 285. A. D. E. 286. A. 287. A. ab eo disputantur. Nimirum haec omnia id postremo efficiunt, ut tanquam dialectica quaedam exhibeatur institutio. Cui quid propositum sit, nobis quidem non dubium videtur. Neque enim assentimur Schleiermachero. Introduct. ad Politic. p. 251. et p. 253. atque Astio De Vita et Script. Platon. p. 234.

scripta haec esse putantibus a philosopho, ut suam ipsius rationem a criminationibus in ipsam coniectis purgaret ac defenderet. Neque accedere possumus C. Fr. Hermanno Histor. Philosoph. Platon. Vol. I. p. 500 sqq. ex eo, quod in Politico potissimum eiusmodi emendationes et praeceptiones proponuntur, protenus concludenti Politicum longo intervallo post Sophistam scriptum esse, quo tempore Plato disserendi rationem in Sophista usurpatam dudum rursus deseruerit. Enimvero nos si quid de his rebus iudicare possumus, in Sophista eadem prorsus quae in Politico regnat disserendi methodus; sed maior in illo irrisio et cavillatio est; in hoc frequentior errorum notatio atque dialectica praeceptio. Hoc autem si quaeris qui ita fiat, paratam habemus responsionem. Videtur enim Plato deliberato consilio in Politico demum, quippe proxime post Sophistam scripto, clariorem lucem admovere voluisse insolitae isti argutaeque dialecticae, quam in Sophista usurpare coeperat, et clarius iam apertiusque prodidisse, cur ea usus esset et quid omnino de eius usu sentiret. Quo artificio etiam illud est consecutus, ut qua ratione subtile istud disputandi genus perfici, emendari et cum Socratici sermonis virtute et elegantia coniungi posset, certius omnibus patefaceret. Quidnam autem potissimum in eo desideraverit, id quum praecepta ab Eleata subinde data luculente doceant, tum etiam illa reddunt manifestum, quae in Philebo p. 16. A. et Phaedro p. 265. D sqq. al. de sythetica pariter atque analytica disserendi ratione traduntur. Consentiunt enim haec cum illis prorsus egregie, ut iis tanquam confirmandis inservire videantur. Nam in Phaedro praecipitur hoc, ut idea sive notionis genus secundum naturalem formarum ac specierum ordinem dividatur; quod qui faciant sinistre, ii similes esse dicuntur coquis parum solertibus, qui in epulis apparandis eas ciborum particulas diffringendo faciant, quae ipsi ciborum naturae parum sint convenientes. In Philebo autem inter alia leguntur haec: *οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἓν μὲν ὅπως ἂν τύχωσι καὶ πολλὰ* (h. e. *genera et formas*) *θᾶττον καὶ βραδύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄπειρα* (h. e. *partes singulas s. individuas res*) *εὐθύς, τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει, οἷς διακεχώρισται τό τε διαλεκτικῶς πάλιν καὶ τὸ ἐριστικῶς ἡμᾶς*

ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους. De his igitur similibusque rebus crebro in Sophista, crebrius etiam in Politico admonetur, eo quidem consilio ut quid in dividendo, cernendo, definiendo denique atque disserendo observandum sit, rectius cognoscatur, atque etiam dialectica ista methodus Megaricorum propria, quae in iisdem libris imitatione expressa est, emendetur emendataque propius ad Socratici sermonis elegantiam et virtutem adducatur.

Atque hic nos videmus ad aliud quid pervenisse, unde item intelligi liceat id quod diximus Platoni fuisse propositum. Vidimus antea Eleatam apud Platonem sic induci disserentem, ut dialecticae exercitationis gratia res vulgares et in medio positas operosa diligentia pervestiget iisque tantundem laboris atque studii impertiatur, quantum rebus longe gravissimis. Nimirum videtur is mos utique fuisse Megaricorum, acutae subtilitati omnia tribuentium, rerum dignitatem atque gravitatem minus curantium. Quem quidem morem sicuti Plato lepida imitatione explosit, ita egregio artificio adumbravit sic, ut cum analytica illa via et ratione genus quoddam Socraticae inductionis coniunxerit, a Megaricis fere repudiatae. Nam Euclides teste *Aristotele* Metaphys. I. 20. et *Diogene Laërt.* II. §. 107. Socraticam *παραβολήν* funditus sustulit eamque ob caussam etiam usum inductionis plane aspernatus est. Quod qua de caussa ita statuerit, nemini cuiquam erit obscurum: acquievit enim ille in una analytica disserendi ratione, quae quominus quidquam extrinsecus ad argumentandum assumeretur, omnino prohibebat. Quid igitur Plato? nimirum is ut ostenderet quid hoc nomine in illa disserendi severitate desideraretur, prudentissimo consilio exempla, quae praeviae exercitationi dialecticae inservirent, ab iis rebus sumsit et repetiit, quae cum ea re, de qua proprie quaereretur, insignem quandam haberent similitudinem, ideoque morosae illi ac tristi argumentandi severitati Socraticam comparationis suavitatem adiunxit. Id quod multo cum festivitatis lepore inprimis sic fecit in Sophista. Nam in eo dialogo sophista sic investigatur, ut nunc cauponi, nunc institori, nunc athlethae, nunc purgatori alicui similis esse dicatur*); quorum

*) P. 218. E — 232. B.

quidque sicuti exercitationi dialecticae praebet materiam, ita etiam continet aliquid, quod facete urbaneque in sophistam transferri possit eiusque naturam et ingenium suavi aliqua comparatione collustret. Fecit item, semel certe, in Politico. Etenim quo loco seiunctionis ac divisionis ratio exemplo a re vulgari petito declaratur *), eo simul id effecit, ut artis civilis virtus ac praestantia omnis suavissima artis textoriae comparatione reddatur illustrior. Atque ex his iam perspicuum erit, quorsum illa pertineant, quae Eleatam p. 285. D sqq. iussit de usu exemplorum in disputando exponere. Commendatur enim hic usus comparationis atque inductionis Socraticae ab Euclide ipso male repudiatae, quippe quem Plato facile pervidit plurimum valere ad id, ut quae a sensibus sunt abducta, ea rerum oculis subiectarum similitudine in illustriore luce collocentur **). Sed satis de his. Pergimus ad tertium quiddam, unde Platonem intelligere liceat in Sophista et Politico Megaricae dialecticae severitatem Socraticae rationis usu temperavisse eaque re, qua parte illa perficienda et emendanda videretur, significasse.

Fecit enim Eleatam interdum ita disputantem, ut misso aliquando angusto isto et conciso disserendi genere, quod ab omni abhorret orationis ornatu et elegantia, ultro versetur liberius ac paene germanus fiat Socraticus. Cuius rei exempla, quoniam de Sophista alio loco diximus, hic ex uno Politico attulisse sufficiet. Pertinet autem huc ante omnia copiosa illa de variis mundi aetatibus narratio, cuius summam antea exposuimus. Quae certe ita comparata est, ut eum, qui antea in acutis brevibusque haesit divisionibus et conclusiunculis, paene mirum sit repente ad tantam orationis copiam et ubertatem transire potuisse. Enimvero sequitur hic Eleates Platonis communem fere morem antiquae philosophiae, in qua fabularum usus longissime pervagatus fuit, propterea quod iam antiquitus apud Graecos summa fuit philosophiae et poësis coniunctio. Nec vero ille praeter consuetudinem eius familiae, cui adscriptus fuit, fabulam narrans inducitur. Nam Eleatas quidem fabulas in philosophando non aspernatos esse, vel ex unis Parmenidis reliquiis intelligitur. Sed longe dignissimum est quod observetur diligentius, hospitem non ut ceteros philosophos uti fabulosa narratione, sed prorsus eadem conditione id facere, qua Socrates apud Platonem solet; de qua re mox accuratius exponemus. Hoc autem si verum est, quid inde ad sententiae propositae confirmationem consequatur, profecto non est cur dedita opera ostendamus. Sed praeter fabulosam istam narrationem, in qua Eleaticus repente a consueto disserendi genere recessit, alius hic locus praecipue animadvertendus est, qui et ipse non mediocriter videtur opinionem nostram confirmare. Nam quo loco ille instituit de viri rerum civilium scientia vere ornati dignitate, de ineptis vanisque eiusdem imitatoribus, de optima civitate, de Graecorum rebuspublicis, de vera arte civili deque reliquis artibus huic famulantibus, aliis id genus rebus, explicare*); ibi vero, etiamsi plane idem animadverti potest dividendi cernendique studium, quod in plerisque aliis regnat sermonis partibus, tamen ea est verborum ubertas, ea sententiarum copia, ea denique sermonis elegantia et urbanitas, ut non iam severum istum de schola disputatorem audire videamur, sed ipsum Socratem aut potius Platonem credamus sermonem suscepisse ac more suo de re gravissima facunde et copiose disputare. Etenim hoc quoque eo putamus referri oportere, quod Plato acutam Eristicorum brevitatem ad Socratici sermonis ubertatem et elegantiam educendam provehendamque iudicavit. Quod autem Eleatam fecit isto modo disputantem, id fortasse etiam inde aliquid habet explicationis, quod Euclides etsi dialecticae subtilitati totum se dedit, tamen etiam sermones scripsit, in quibus fieri sane potest ut ad Socraticam disserendi rationem propius accesserit **). Quocirca haec utique plus lucis essent habitura, si de Euclidis dialogis aliunde certius constaret: nunc meris acquiescendum suspicionibus est.

Et haec quidem de dialectica in Politico usurpata. Quam si ita illustravimus, ut sententia nostra idoneis harum rerum iudicibus non omnino displiceat, videmur non inepte existimare,

*) P. 277. D—283. A.

**) Platonis sententiam de inductionis ad verum perspiciendum utilitate egregie illustravit Heusdius Init. Philos. Plat. V.II. P.II. p. 82 sqq.

*) P. 291. C sqq.

**) V. Devks. De Megaricis p. 6.

iam nunc partem non exiguam difficultatis illius, qua Politici interpretatio premi visa est, haud infeliciter sublatam esse. Neque enim disserendi forma ac species, quam habet propriam, ea iudicabitur, quae a Platonis ratione aut ingenio abhorrere putanda sit, omnisque orationis habitus facile aestimabitur ex iis, quae Platoni pro rerum suarum conditione consiliique ratione fuerunt proposita.

CAP. V.

Examinatur et illustratur argumentum eorum locorum, quibus de arte civili et de civitatum regimine exponitur.

Progrediamur igitur nunc ad excutienda ea, quae dedita opera de rebus civilibus disputantur. Quod quidem ita facere in animum induximus, ut principales operis partes ordine singulas lustremus et quid in unaquaque ad propositi argumenti explicationem proferatur, accuratius dispiciamus. Discerni autem facili negotio possunt tres partes operis primariae: una, qua de viri civilis natura, ingenio ac dignitate ita disceptatur, ut artis dialecticae inprimis ducatur ratio; altera, qua fabulose exponitur de mundi aetatibus eiusque gubernatione; tertia denique, qua artis civilis et perfecti regis imago exhibetur atque ea dilucidantur, quae ad rerumpublicarum administrationem pertinent. Quas quidem singulas ita considerasse iuvabit, ut quid in unaquaque exponatur et quorsum id ipsum pertineat quibusve caussis nitatur, ostendere conemur.

Et de dialectica quidem parte operis, hoc est ea, quae p. 258. C. usque ad p. 268. E. et p. 274. E. usque ad p. 291. C. perscripta est, licebit nobis esse brevissimis. Nam quum ei id potissimum sit propositum, ut dialectica Megaricorum vel cum urbana quadam irrisione depingatur vel ad Socraticam rationem corrigatur atque emendetur, quae de arte civili eiusque amatoribus exponuntur sane sunt pauciora, quam pro huius loci amplitudine expectes. Quamquam cave existimes, Platonem rei principalis hic fuisse prorsus immemorem. Docuit enim philosophus utique primum quidem, quibusnam scientiae generibus ars civilis subiecta sit; deinde a quibusnam artibus cognatis ea secerni debeat: in quo etsi subinde lusit potius quam severe

egit, tamen simul id spectavit, ut quae ad rem illustrandam essent utilia, in medium afferrentur. Discimus autem inde fere haec: artem civilem quoniam in regenda et gubernanda republica versetur, in eaque maxime mentis intelligentia et consilio opus sit, non tam ad πρακτικήν quam ad γνωστικήν scientiae partem pertinere*); γνωστική autem, quoniam sit vel κριτική, quae nihil nisi verum diiudicet aut agnoscat, vel ἐπιτακτική, quae ratum fieri iubeat id, quod pro vero rectoque sit habitum, consequens esse, ut ars civilis huic subiecta putari debeat, quippe quae cognita imperet, et quidem propria atque sua auctoritate, ut ob eam caussam αὐτεπιτακτική appellari possit**); pertinere autem eius imperium non ad bruta animalia, sed ad homines, qui quidem una communitate reipublicae coniuncti per eam tanquam ali atque pasci existimandi sint***). Quanquam postremum hoc non satis esse iudicatur ad definiendam omnem artis civilis vim rationemque, quandoquidem istud pascere atque alere latius pateat, quam ut in unum principem artis civilis peritum convenire existimandum sit†). Itaque altero loco, quem indicavimus, id agitur, ut accuratius ostendatur, a quibusnam artibus cognatis ratio civilis secernenda ac distinguenda sit. In qua quaestione quomodo ex arte versandum sit, exemplo eius texturae partis demonstratur, quae in lana tractanda occupata est††), addita etiam subtili admonitione, qua huius disquisitionis longitudo excusetur†††). Tum vero, ostenso discrimine inter artes effectrices et artes administras sive adiutrices, ante omnia a ratione civili segregantur ea negotia, quae quum ei serviant et tanquam famulentur, tamen minime cum ipsa confundi debeant. Referuntur huc primum opificia omnia, quae in rudi materia tractanda, in instrumentis, vasis, vehiculis, tegumentis, artis operibus, aliisque rebus comparandis versentur, quae ad vitam degendam sustentandamque necessariae sint. Referuntur huc item artes eae, quae ad mansuetorum animalium tra-

*) P. 258. C — 259. D.
**) P. 259. D — 261. A.
***) P. 261. A — 266. E.
†) P. 266. E — 268. E.
††) P. 279. A — 283. A.
†††) P. 283. A — 287. B.

etationem pertineant, quippe quae τῇ ἀγελαιοτροφικῇ, quae dicitur, contineantur. Denique etiam pertinere huc iudicatur opera servorum et ministrorum. Quanquam inter hos futuros esse censet Elentes, qui ad civilis artis laudem adspirare non verecundentur. Quorum quidem hominum fastum ac superbiam philosophus hoc loco facetissima irrisione exagitat ac perstringit; quandoquidem eos omnes admonet gravissime, nihil esse cur adeo superbiant, quum quanto intervallo a veri regis et principis dignitate distent, ipsi ne suspicari quidem videantur. Non quidem verendum est, inquit, ne venales illi servi itemque ii, qui sese ultro eorum operae addixerunt, agricolae, opifices, mercatores, mercenarii, artis regiae partem sibi vindicare tanquam propriam conentur. At prodibit in medium aliorum ministrorum natio, tanta arrogantia inflata illa atque tumida, ut rempublicam sua maxime opera regi ac gubernari opinetur. In horum numero habendi sunt primum praecones, tum scribae publici, tum vates, qui vulgo deorum interpretes existimantur, denique etiam sacerdotes, qui in Aegypto adeo eum nacti sunt honorem, ut nullus rex sine sacerdotio imperare queat, ac si forte ex alio civium ordine oriundus sit, inter sacerdotes recipi necessario debeat. At enimvero haec quum vana sit et inanis hominum temere superbientium turba, tum ad eos accedit multiplex ista atque varia natio eorum, qui quum in profitenda artis civilis exercitatione revera maximorum praestigiatorum partes agant, tamen a viris vere regiis ac prudentia civili instructis aegre vulgo discernuntur. Hos igitur ab illis seiungere ac separare debebimus, siquidem perspicue voluerimus perspicere id, de quo dudum quaerimus*).

Haec igitur Plato ea sermonis parte, quam ob eam causam, quam antea significavimus, dialecticam appellare non dubitavimus. Qua si quaeris quid ad rei propositae explicationem proficiatur, responsionem in promtu habemus. Constituit enim philosophus hic tanquam fines ac terminos, intra quos artis civilis laus atque virtus quaerenda sit, seiunctis iis omnibus, quae ab ea viderentur esse aliena. Quamobrem ei deinde area quasi purgata certius licuit de rebus civilibus disquirere, et ad

*) P. 287. B — 291. C.

id ipsum accedere, quod sibi potissimum exquirendum sumsisset. Quamvis igitur concedendum sit, istam operis partem eo potissimum spectare, ut ipsi dialecticae consulatur et quibus ea partibus emendari queat, tanquam per occasionem ostendatur, tamen non esse levia aut supervanea quae hic de artis civilis et politicorum indole ac natura recte definienda disseruntur, nemo quisquam infitiabitur.

Atque hinc statim licebit ad eam dialogi partem considerandam transgredi, qua principale disputationis argumentum continetur, etsi eam supra cum ipso Platone tertio loco posuimus. Nam ad hanc a dialecticis illis divisionibus atque partitionibus pedetentim ita transitur, ut tanquam imprudentes ad aliam disserendi rationem pervenisse videamur. Quippe secernuntur quidem hic quoque ii, qui vulgo rerum civilium periti habebantur, a rege atque principe vere sapienti, sed secernuntur sic, ut simul disputatione vere Socratica et Platonica doceatur, quaenam sit eorum omnium indoles et ingenium, quae virtus ac dignitas, ideoque sic demum res plene perfecteque aperiatur, ut missa tandem illa dividendi subtilitate ad notionum coniunctionem perveniatur. Quamobrem haec operis pars id ipsum tandem agit, ut quid de viris rerum civilium prudentia claris eorumque diversitate ac discrimine existimandum sit, quam accuratissime intelligatur. Quocirca age huius loci sententiam eiusque fontes excutiamus paullo diligentius, atque simul videamus, quatenus quae in eo exponuntur, cum iis consentiant, quae philosophus alibi de rebus civilibus earumque administratione exposuit. Iuvabit autem hic diligenter tenuisse, quod alios praeteriisse sanequam mirum accidit, Platonem hac parte operis non tantum verum germanumque politicum, quem Graece dicimus, informasse, sed etiam eorum adumbravisse imaginem, qui honorificum illud nomen mala fraude vel ipsi sibi arrogare vel ab aliis accipere videbantur*). Quem-

*) Non recte enim SCHLEIERMACHERUS Prolegg. ad Politic. p. 252. „*Was an Verschiedenheit (zwischen den Sophisten und Politikus) aufzufinden ist, scheint nur daher zu rühren, dass im Sophisten der unmittelbare Gegenstand der Darstellung das Verwerfliche ist, in dem Staatsmann hingegen das Aechte und Vortreffliche.*“ Rectius vir egregius iudicavit deinceps. Nec probamus HERTELIUM Comment. de Politico Platon. p. 17. ita scribentem: „*Politici videmus exitum nihil*

admodum igitur philosophus in eo dialogo, quem Sophistae nomine inscripsit, hunc ipsum distinxit a philosopho, ita quidem, ut sophistam, ab hoc segregatum, peculiari opere copiose depinxerit et illustraverit, philosophum autem alio tempore instituendum et informandum sumserit *); ita in Politico item falsi opinatique politici a vero germanoque, qui idem est philosophus, discernuntur, hoc tamen discrimine, quod una cum perfecti politici informatione etiam eorum coniungitur descriptio, qui quum in rerum publicarum tractatione versentur, tamen a verae artis civilis laude atque dignitate longissime abesse existimandi sint. Quod profecto non est cur miremur a Platone sic institutum esse. Nam quum Sophistae descriptio copiosiorem sibi deposcisset disputationem, tum idem multo magis etiam philosopho futurum esse videri debuit. Itaque scriptor utrique peculiarem librum destinavit. Sed aliter res sese habuit de politico et adulterinis eius imitatoribus. Hos enim simul depingere Plato studuit, vel quia quod in praesenti esset exponendum, nec divellendum nec differendum videbatur, vel quoniam ipsum argumentum, utpote ad intelligendum facilius, putabat summatim illustrari oportere. Itaque duplex erit nostra in hoc loco illustranda opera, quandoquidem primum quaerendum erit de perfecto rege, qui depingitur; deinde exploranda ea, quae de vulgaribus rerum publicarum gubernatoribus et administris exponuntur. Qua in re tractanda non inepte sic versaturi nobis videmur, ut quae de utroque argumento apud Platonem diversis locis exposita leguntur, ea in unum conferamus et perpetua disputationis serie illustremus. Videamus igitur primum de viri civilis eiusque veri et consummati imagine.

Quodsi igitur quaeris, unde philosophus in eo informando instituendoque profectus sit, retulit etiam in hoc libro, sicuti

---

ad distinctionem inter verum et falsum politicum pertinere, sed in alterius officio depingendo orationem ita versari, ut de falsi natura nihil amplius discamus. Nempe haesit ille unice in iis, quae leguntur inde a p. 305. E.

*) Magnopere enim errat HERTELIUS Comment. de Politico Platonis p. 16 sqq. Sophistam contendens etiam philosophi illustrandi caussa conscriptum esse ideoque philosophum et falsum et verum depingere.

in Republica fecit, omnem artis civilis laudem atque dignitatem ad unam mentem rationemque tanquam praestantissimam ac vere divinam hominis partem *). Quocirca et in principio libri, ubi facta artium divisione exquiritur, quid ars civilis esse putari debeat, ab summo scientiae genere exorsus est **), et eo ipso loco, ubi de industria perfecta rerum publicarum gubernatio describitur, verum politicum tanquam sapientem informavit, qui in regenda moderandaque republica cum scientia versetur ***). Eo enim loco regem et principem reipublicae non vult esse talem, qui secundum leges et instituta patria imperii habenas tractet; haec enim semper et esse et manere manca, imperfecta, perpetuis mutationibus obnoxia; sed illum demum censet esse bonum civitatis gubernatorem, qui eam gerat mentem eamque sapientiam possideat, ut quid in quavis rerum externarum conditione et singulis civibus et universae reipublicae vere profuturum sit, recte intelligat intellectumque ad sapientiae et iustitiae normam ratum facere studeat. Quod igitur Plato in libris de optima civitate iudicavit, civitates tum demum beatas fore, si a sapientibus gubernentur; idem prorsus etiam eo Politici loco statuit, de quo nunc agimus. Quanquam in hoc libro huius sententiae suae rationes magis significavit, quam uberius exposuit. Neque enim philosophi in rerum publicarum luce constituti imaginem expressit, sed tanquam adumbravit. Sed quid rei sit, clarissime docent quae in optimae civitatis opere de eodem loco exposita leguntur. Neque enim Plato regem eum voluit esse, qui minima maxima quam accuratissime nosset; cuiusmodi scientiam philosophus certe admodum parvi aestimavit; sed qui omnia ad sapientiae, iustitiae, temperantiae, virtutis denique leges exigere et iudicare posset, eodemque nihil non referret. Itaque libro sexto praestantissimi operis †): Philosophi, inquit, quum habeant ipsius veritatis cognitionem, quid in civitate iustum sit, quid iniustum, accuratissime videbunt. Etenim flagrantissimo earum rerum, quae revera sunt, amore incensi etiam eas artes

---

*) Egregius de hac re locus est De Republ. VIII. p. 551. C sqq.

**) P. 258. C sqq.

***) P. 291. C sqq.

†) Init. p. 484. A sqq.

ac studia amabant, quae ipsis vim aeternae illius *οὐσίας* patefaciant. Ibidem *): Si forte acciderit, inquit, ut talis vir aliquando quampiam civitatem ad aeternam illam *οὐσίας* speciem ordinet et componat, is certe erit optimus temperantiae, iustitiae, virtutis denique omnis dux atque magister." Quamobrem eidem etiam Boni Ideam cognitam esse oportere statuit, ad quam et ipse se componat et alios regat atque moderetur **). Sed omnino legendus est de his rebus divinus ille locus inde a libri V. p. 471. C sqq., quo sane nullum novimus qui dubiae rei plus lucis affundat. Hoc ipsum igitur philosophus etiam in Politico sibi voluit; idque maxime apparet ex iis quae p. 308. A sqq. de munere et officio optimi civitatis gubernatoris disputavit. Nam ibi eum censet civitatis tanquam carmen quoddam ita contexere oportere, ut civium animos reddat participes divinitatis eosque recta honesti, boni, iusti cognitione imbuat, in quo uno cernatur optimum concordiae totius reipublicae vinculum. Quanquam nolumus diffiteri in Politico una ex parte rem aliter esse expositam atque in libris de optima civitate. Nam in his quum regem sapientem fecerit ideas intuentem, tamen in Politico istud ipsum ne verbo quidem significat, sed substitit in una sapientis descriptione, qui scientia eius, quod optimum sit, hoc est, boni, iusti et honesti, omnia regat et moderetur. At rem ipsam si spectemus, neutiquam secum ipso pugnare existimandus est. Enimvero in Politico quum idearum doctrinam, qualem in Phaedro, Symposio, Republica, aliis libris exposuit, omnino non attigerit, rem magis populariter et ad vulgarem hominum captum accommodate explicare voluisse censendus est. Sed tenuit tamen hic quoque quod in Republica censuit, uti homini mentem, ita civili imperio perfectam sapientiam praecesse oportere, quae omnia ad boni et honesti normam exigat ac dirigat, ut hac in re summa cernatur consensio eorum, quae in utroque opere explicata sunt. Nimirum certa fuit atque constans quum aliorum Socraticorum tum Platonis inprimis sententia, civitatem ad quam maximam contendere oportere sapientiae et virtutis praestantiam idque ipsum ei potissimum esse propositum *). Eodem igitur Plato etiam artem prudentiamque civilem retulit, quam neutiquam voluit esse potentiae, opum, divitiarum comparandarum magistram vel adiutricem. Quum vero virtutem in recti honestique scientia inesse sibi persuasisset, facile est ad intelligendum, cur perfectum regem atque principem eundem esse voluerit perfectum sapientem. Quanquam cum hac opinione, si verum quaerimus, etiam quandam Pythagoreorum sententiam videtur coniunxisse, a qua profectus talem potissimum informavit principem, qualem in Politico et Republica instituit. Etenim Pythagoreis legimus *legem aeternam* sive *rectam rationem* dici haberique consuevisse *πατέρα καὶ ἡγεμόνα τῶν γεγραμμένων νόμων* atque *βασιλέα*, amplissimi honoris nomine dignum, *νόμον ἔμψυχον* esse vocatum **). Talem igitur regem etiam Plato, Socratica doctrina cum hoc Pythagoreorum decreto coniuncta, instituit, quippe cui propriam esse voluit eam mentem atque sapientiam, quae pro viva quasi eaque communi lege valeret. Atque hinc explicationem suam habent quae de legibus publice sancitis iudicavit. Arbitratur enim civitatem eam, in qua talis sapiens imperii habenas tractet, legibus extrinsecus latis haudquaquam indigere, quippe regia prudentia ita fundatam firmatamque, ut illarum adminiculo facile sit caritura; quin etiam nefas esse ait talem regem, legibus civilibus longe superiorem, earum vinculis constringere velle. Nimirum haec quorsum spectent et quibus rationibus nitantur, nunc facile intelligetur ***). Ac ne forte

*) Lib. VI. P. 499. D sqq.

**) Ibid. P. 505. A sqq.

*) De ethicae et politicae apud veteres coniunctione v. DE GEER De princip. Polit. Platon. p. 126.; HEEREN. Ideen Vol. III. p. 235.; WACHSMUTH. Hellen. Alterth. I. 1. p. 205.; KOEPPEN. Politik nach Platon. Grundsätzen p. 2—35. et Platon. Gesetzgebung p. 210 sqq.

**) V. VALCKENAR. ad Herodot. III. 38. DE GEERIUS De Princip. Politices Platon. p. 170.

***) Egregius est locus LACTANTII Institutt. Div. VI. 8. e Cicerone repetitus, qui non incommode huc revocabitur. „*Est quidem*, inquit, *vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus; ne-*

putes Platonem haec in Politico tantum ita statuisse; plane eadem philosophus quum alibi *) tum in ipso Legum opere docuit libr. IX. p. 875. A. C., ubi inter alia sic scripsit: *ἐπεὶ ταῦτα εἴ ποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανός, θεία μοίρᾳ γενηθείς, παραλαβεῖν δυνατός*, (si ingenio satis valet ad cognoscenda ea, quae hominibus ad civitatem prosint, et ubi cognovit, optimum semper et vult et potest facere), *νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρξόντων ἑαυτοῦ· ἐπιστήμης γὰρ οὔτε νόμος οὔτε τάξις οὐδεμία κρείττων, οὐδὲ θέμις ἐστὶ νοῦν οὐδενὸς ὑπήκοον οὐδὲ δοῦλον, ἀλλὰ πάντων ἄρχοντα εἶναι, ἐάν περ ἀληθινὸς ἐλεύθερός τε ὄντως ᾖ κατὰ φύσιν***).

En cognovimus tandem, quam ingenii indolem quamque sapientiam Plato perfecto illi, quem finxit, rerum publicarum gubernatori propriam esse voluerit; vidimus item, quatenus quae in Politico de hac re exponuntur, cum iis concordent, quae de eodem argumento in aliis eius operibus sunt explicata; intelleximus denique etiam ex quibus fontibus ac principiis haec omnia ducta sint. Nec tamen iam omnia sumus persecuti, quae philosophus de perfecto rege disputavit. Nam praeter ingenii animique virtutem etiam munus et officium eius designandum iudicavit, quo clarior et illustrior eius species et imago redderetur. Hanc igitur sermonis partem ***) nunc item ita percenseamus, ut quidnam sit, quod hic tradatur, singulatim exquiramus ac pervestigemus; id quod etiam propterea necessarium putamus,

---

que est quaerendus explanator aut interpres eius alius; nec erit alia lex Romae, alia Athenis; alia nunc alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus; ille legis huius inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugerit.“ Quae prope sane ad Platonis sententiam accedunt.

*) Conf. De Rep. IV. p. 425.

**) Ac similiter Xenoph. Cyrop. VIII. 1, 22. *τὸν δὲ ἀγαθὸν ἄρχοντα βλέποντα νόμον ἀνθρώποις ἐνόμιζεν, ὅτι καὶ τάττειν ἱκανός ἐστι καὶ ὁρᾶν τὸν ἀτακτοῦντα καὶ κολάζειν.* Quamquam is vix videtur mente sua ad illam surrexisse sententiarum altitudinem et sublimitatem, quam in Platonica perfecti regis imagine admirari licet.

***) Legitur ea p. 305. D sqq.

quod quae hic traduntur, in iis non tantum Socherus, verum etiam Schleiermacherus vehementissime offenderunt *).

Profectus est igitur Plato in describendo optimi rerum publicarum moderatoris munere et officio ab ea sententia, quam etiam Pythagoreis probatam fuisse accepimus, nullam esse pestem civitatis graviorem, quam discordiam, qua universae reipublicae tanquam concentus turbetur. Nam nobilissima est et plurimum celebrata Samii sententia, in omnibus rebus plurimum valere harmoniam, ideoque nihil studiosius esse vitandam quam iustae mensurae perturbationem, quae in civitate cernatur in discordia. Pertinent huc quae narrantur apud Iamblichum Vit. Pythag. §. 34. §. 130. §. 175. §. 205.**) Porphyrium §. 22. et Stobaeum Florileg. T. II. p. 110 sq. ed. Heeren. Eandem vero etiam Platoni placuisse vel unus ille locus satis testatur, qui est Reip. V. p. 462. A. ubi summum civitatis bonum in eo positum esse iudicatur, ut sit una atque concors omnesque cives habeat consentientes eodem modo, quo singulae unius corporis partes inter ipsa conveniant ***). Ab hac igitur sententia profectus philosophus regi optimo, quem finxit, id propositum esse debere statuit, ut in civitate quam maxima efficiatur omnium civium ad unum eundemque finem contendentium consensio atque

---

*) Socherus enim p. 273. plura Platonis doctrinae contraria hic deprehendisse sibi visus est; de quibus singulis deinceps explicabitur. Schleiermacherus autem Praefat. ad Politic. p. 256. arbitratur, Platoni in describendo viri civilis munere et officio unice discordias ac seditiones Graecarum civitatum ob oculos esse versatos, atque inde explicari oportere, cur totus hic locus tam exilis sit argumenti, ut philosophiae subtilitas fere desideretur.

**) Primo loco Pythagoras narratur praecepisse, *φυγαδευτέον πάσῃ μηχανῇ καὶ περιοπτέον πυρὶ καὶ σιδήρῳ καὶ μηχαναῖς παντοίαις ἀπὸ μὲν σώματος νόσον, ἀπὸ δὲ ψυχῆς ἀμάθειαν, κοιλίας δὲ πολυτέλειαν, πόλεως δὲ στάσιν, οἴκου δὲ πάντων ἀμετρίαν.* Altero dicitur dictitasse *μηδὲν εἶναι μεῖζον κακὸν ἀναρχίας.*

***) Legg. III. p. 701. D. *ἐλέξαμεν ὡς τὸν νομοθέτην δεῖ τριῶν στοχαζόμενον νομοθετεῖν, ὅπως ἡ νομοθετουμένη πόλις ἐλευθέρα τε ἔσται, καὶ φίλη ἑαυτῇ, καὶ νοῦν ἕξει.* Ibid. p. 693. B. *τὴν πόλιν ἐλευθέραν τε εἶναι δεῖ καὶ ἔμφρονα καὶ ἑαυτῇ φίλην.* Ibid. libr. V. p. 739. C sqq. De Rep. IV. p. 422. E. Sententiam Platonis exagitavit acerrime Aristoteles, de quo v. Patricii Discuss. Peripatet. p. 350 sqq.

concordia. Quae quidem qua caussa et ratione secundum eius sententiam niti debeat, nemini cuiquam dubium erit, qui Platonem meminerit in ea fuisse sententia, ut ultimum civitatis finem non in potentia vel divitiis vel vitae iucunditate, sed in adiuvanda promovendaque civium virtute humanaeque naturae perfectione positum esse existimaret, quippe qua una efficeretur vera eius felicitas. Itaque rerum publicarum rectori et gubernatori indicavit tanquam virtutis quoddam carmen esse efficiendum, quo uno civitatis universae concentus maxime contineretur. Quod ipsum etiam in Politico est sequutus, sicuti ex eo apparet clarissime, quod eives inprimis divinis boni, iusti et honesti vinculis coniungendos esse statuit; de qua re mox erit dicendi locus. Atque haec quum ita iudicaverit, facile intelligitur, cur duas maxime partes eius numeris et officii distinxerit, quod perfecto regi attribuit, alteram explorandi ac secernendi, alteram coniungendi. Nam primum quidem arti civili censet id propositum esse oportere, ut bona et mala secernantur et quae concentum civitatis videantur perturbatura esse, quantum fieri possit, reiiciantur atque amoveantur. Deinde autem id eius vult munus esse proprium, ut bona apte coniungantur ac similia cum dissimilibus scite concilientur, quo existat totius reipublicae quam maxime convenientia atque unitas. De utraque igitur separatim explicandum erit, quo certius cognoscatur philosophi sententia, et si quae sintde ea dubitationes, eae quibus caussis nitantur, ab omnibus intelligatur.

Proprium igitur arti civili ante omnia hoc munus censet philosophus, ut puerorum et adolescentium ingenia atque animos diligenter exploret et cognoscat. Nulla, inquit, ars est, quae non in operibus suis componendis fabricandisque sola bona deligat, mala, quantum fieri possit, arceat et removeat: quo facto eadem curabit, ut ex iis, quae bona sunt, similia atque dissimilia quam aptissime in unum coniungantur. Nam hoc demum modo poterit fieri, ut cuiuscunque operis perfecta aliqua species et imago effingatur. Idem igitur etiam arti civili propositum esse debet, quae volens certe nunquam id committet, ut civitatem aliquam ex bonis et malis civibus componat. Quocirca ea primum quidem singulorum indolem atque animum explorabit; tum vero exploratos recte institui curabit atque erudiri. Enimvero sicuti ars textoria carminantibus aliasque res ad texturam necessarias tractantibus sedulo adest ac talia quemque iubet facere, qualia operi suo sint convenientia; sic etiam ars regia magistros atque educatores diligenter observabit, neque permittet, ut ea factitent, quorum tractatione animi adolescentium ab ipsius tanquam temperatione alieniores reddantur. Haec igitur Eleates de puerorum et adolescentium institutione ac disciplina*). Quam quod totam reipublicae rationibus accommodari vult, id profecto nemo infitiabitur prorsus consentire cum iis, quae de eodem argumento in Politia atque Legibus exposita leguntur. Nam in utroque hoc opere item docuit philosophus, reipublicae plurimum interesse, ut iuvenes quam optime erudiantur atque educentur**); imo etiam ea imperavit, quae libertati civili utique adversari videantur***). Quocirca in his nihil quidquam reperiri putamus, quod cum Platonis ratione atque doctrina, aliunde cognita, pugnare existimandum sit. At secus de iis visum est, quae praeterea de puniendis vel eiiciendis iis disputantur, qui invicta ingenii pravitate ad vitia atque scelera ferantur†). Haec enim ex Platonis sententia ita statui potuisse Socherus††) propterea negat, quod isto modo principi civitatis adeo ea potestas tribuatur, ut cives vi et crudelitate ad virtutem amplectendam exercendamque adigere queat. Enimvero novimus sane Pla-

*) Pag. 308. A. C. D. E.

**) V. Morgenstern. De Platonis Republica p. 199 sqq., ubi docet civitatem Platonicam esse quasi educationis publicae scholam. Conf. Legg. VII. p. 804. D. et VII. p. 813. D. *ὡς εὖ τραφέντων καὶ τρεφομένων τῶν νέων πάντα ἡμῖν κατ' ὀρθὸν πλεῖ.* Dissensit igitur Plato quodammodo a Solone, quem novimus institutionem puerilem eatenus tantum legibus suis complexum esse, quatenus modestia, probitas ac pudicitia puerorum tuenda videretur; reipublicae nullam duxisse ea in re rationem. Notae sunt istae Solonis leges ex Aeschin. Orat. in Timarch. §. 9 sqq. Nihilominus tamen cum Attico legislatore in eo convenit, quod et ipsius respublica et illius leges ad institutionem iuvenilem pertinentes ex ethicis principiis ductae sunt.

***) V. Morgenstern. l. c. p. 197 sqq. p. 237 sqq.

†) P. 308. E. 309. A.

††) De Scriptis Platon. p. 273. „*Auch die dem Staatsregenten beigelegte Macht, nach seiner Einsicht zum Guten zu zwingen, stimmt nicht mit Platon überein, der überall nur freiwilliges Gutes anerkennt.*“

tonem virtutis praestantiam ac dignitatem omnem in libero rationis usu et voluntatis honestate positam iudicavisse. At quid hoc impedit, quominus quosdam sibi persuaserit adeo ipsa naturae et ingenii sui indole ad omnem abiectos esse pravitatem, ut corrigi et ad bonam frugem perduci vix posse viderentur? Hos igitur si pro pravitatis ratione et modo voluit a rege suo civitatis quam optimae conditore vel eiici in exilium vel suppliciis affici vel inter servos referri, num id ipsius sententiae adversari arbitrabimur? Nimirum non meminit Socherus similia certe etiam in Politia pronunciari. Quid enim? nonne ibi filii civium primi et secundi ordinis, hoc est magistratuum atque militum, simulatque a parentum virtute desciverint, protenus in tertii ordinis humilitatem deiiciendi esse dicuntur*)? Num igitur philosophus ibi quoque virtutis colendae exercendaeque libertatem sustulisse iudicandus erit? Et quis est qui inficietur etiam in libris de optima civitate magistratibus, qui ibi optimi regis partes agunt, imperium concedi paene immensum nullisque finibus circumscriptum, ita ut soli et omnem reipublicae administrandae curam gerant et legum ferendarum atque exequendarum potestatem habeant**)? Sed vix est cur hanc viri docti opinionem operosius confutemus, quum facile appareat, cur Plato optimo regi suo tantam potestatem concesserit. Finxit enim eum ipsius rationis perfectae quasi vicarium, qui omnia sapientiae et iustitiae convenienter facturus sit, ideoque similem esse dixit alicui navis gubernatori, qui quid in navigando expediat, nautis ceteris omnibus melius videat et intelligat. Quamobrem nihil profecto hic deprehendimus, quod vel summi philosophi ingenio indignum vel eius doctrinae contrarium esse iudicandum sit. Sed videamus nunc de altera parte muneris ab eo viro rerum civilium vere perito impositi.

Censuit igitur Plato ad efficiendam universae civitatis consensionem et quasi concordiam nihil esse vel gravius vel efficacius, quam ut animi civium, qui aut ad fortitudinem aut ad temperantiam sint procliviores, tanquam iusto quodam temperamento

*) Libr. III. p. 415. B. C. Possis huc etiam infantum expositionem et alia similia referre, de quibus dixit Morgenstern. l. c. p. 229.

**) V. Morgenstern. l. c. p. 182 sqq.

in unum coniungantur, in eaque re voluit eum, qui rationem civilem teneat, vel maxime occupatum esse. Quae sententia uti Schleiermachero admodum ieiuna et exilis visa est*), ita Socherо aliis de caussis magnae fuit offensioni. Is enim illam censuit adversari iis, quae philosophus alibi, maximeque in Gorgia et Protagora, de virtutis unitate ac simplicitate gravissimis verbis disputavit**). At enim vero tantum abest, ut hac in re viri acutissimi iudicio accedamus, ut longissime ab eo recedendum existimemus. Nam ego si quid iudicare possum, in Politico non de fortitudine ac temperantia tanquam virtutibus inter se contrariis et oppositis agitur; sed discernuntur potius duo nativi habitus ingeniorum, ut non tam de ipsa virtute quam de naturali ad virtutem indole vel de vulgari virtute in hominibus a philosophia alienis conspicua disseratur. Distinguuntur enim ingenia animosa et vehementia a temperantibus atque mansuetioribus; utraque autem tam ad vitia quam ad virtutem proclivia iudicantur, siquidem illa non modo ad fortitudinem, verum etiam ad ferociam, petulantiam, pervicaciam, haec autem ad mollitiem et ignaviam non minus quam ad temperantiae virtutem natura comparata esse dicuntur***). Quocirca Platonis iudicio regi atque principi sapienti id maxime agendum est, ut varia ista et contraria animorum inclinatio prudenter regatur atque sic tem-

*) Praefat. ad Politic. p. 255 sq., qui inter alia haec excusat sic: „*Besonders aber mögen sie sich erinnern lassen (die solches Resultat für dürftig Ansehenden), dass in unserm Gespräch ganz dieselbe Verflechtung und Zusammensetzung statt findet, wie in dem vorigen, und dass sie daher nicht vergeblich in dem, was bloss als Abschweifung und beiläufig gegeben wird, die wichtigsten Aufschlüsse suchen dürfen.*“

**) Nam in opere *De Scriptis Platon.* p. 273. sic scribit: „*Die Entgegensetzung und Trennung zweier Tugenden harmonirt nicht mit den Dialogen Protagoras und Gorgias; im erstern wird Einheit der Tugend gefordert, im letztern ausdrücklich behauptet, dass, wer mässig sei, eben darum auch tapfer sei.*“

***) Intelligitur ergo, ut diximus, virtus δημώδης, quae eleganter describitur Legg. IV. p. 710. A. τὴν δημώδη γε (λέγω σωφροσύνην), καὶ οὐχ ἥν τε σεμνύνων ἂν λέγοι, φρόνησιν προσαναγκάζων εἶναι τὸ σωφρονεῖν, ἀλλ' ὅπερ εὐθὺς παισὶ καὶ θηρίοις, τοῖς μὲν ἀκρ'ατῶς ἔχειν πρὸς τὰς ἡδονὰς, ξύμφυτον ἐπανθεῖ, τοῖς δὲ ἐγκρατῶς.

peretur, ut quam maxima efficiatur totius civitatis consensio, declinatis vitiis omnibus, quae facile inde oritura sint. Atque hanc sententiam existimamus non modo in se nihil habere, quod absurdum aut ineptum sit, verum etiam cum Platonis ratione conspirare amicissime. Nam eandem ille amplectitur etiam libro II. de Republ. p. 374. E. sqq. coll. Tim. p. 18. A. ubi postea quam in deligendis civitatis custodibus ita versandum esse docuit, ut praeoptentur ii, quorum natura et indoles ad belli negotia maxime idonea sit, graviter admonet, hanc rem magnam requirere cautionem: nam istiusmodi ingenii homines facile ferri ad protervitatem et petulantiam; itaque curandum esse, ut educationis ope reddantur tales, qui cum animi fortitudine etiam mansuetudinis et sapientiae moderationem coniunctam habeant. Secutus item est Ibid. libr. III. p. 410. B sqq., quo loco gymnasticam praecipit cum musica ideo coniungi oportere, ut iustum animositatis et mansuetudinis temperamentum in animis efficiatur: nam qui gymnasticae tantum operam dent, eos evadere solere iusto ferociores atque agrestiores; qui vero unam sectentur musicam, eos facile mollescere et effeminari. Sed quid singula enumero, quum ad integros libros Legum provocare liceat, qui certe magno opinionis errore nuper pro subdititio Platonis opere habiti sunt? In his enim*) philosophus copiosissime docuit in constituendis civitatibus id maxime curandum esse, ut cum fortitudine civium etiam temperantia consocietur, et quo modo id in Dorica civitate, quam ibi pro fundamento reipublicae suae posuit, effici queat, perspicue declaravit. Atque haec quum ita sint, facile iam apparebit, quo iure Plato sapienti suo civitatis gubernatori et publicae felicitatis tanquam tutori hoc muneris et officii iniunxerit, ut varia civium ingenia formandis flectendisque eorum animis ad concordiae unitatem et constantiam temperare debeat. Neque enim illi unquam aliter de his rebus persuasum fuit. Quid quod nec alii viri prudentes ab eius iudicio hac in caussa discessisse reperiuntur? Nam ut Pythagoreos taceamus, qui etiam de his similiter sensisse videntur, etiam Xenophon, Polybius, aliique eandem plane sententiam amplexi sunt,

*) Pertinent huc maxime libri duo priores, iique fere integri.

ut paene communis Graecorum sapientium fuisse videatur*). At vero, inquit aliquis, hoc ipsum tamen satis mirum est et philosopho paene indignum, quod post tam longas disputationis ambages denique nihil aliud expromitur, praeter vulgarem istam et paene popularem sententiam, qua artis civilis operam maxime in miscendis temperandisque variis hominum ingeniis versari oportere iudicatur. Audio, et facile largior esse utique maximam huius sententiae simplicitatem, facilitatem, perspicuitatem. Sed idem arbitror summam esse eiusdem gravitatem, ut adeo Platoni tanquam viam et aditum ad omnem doctrinam suam civilem patefecisse videatur. Enimvero reputandum hic est diligenter, qua ratione summus philosophus illam civium natura et ingenio inter se dissimilium consensionem effici voluerit. Quod certe ita fieri iussit, ut hic non vulgare hominum iudicium, sed mentem vere excelsam et sublimis ingenii homine vere dignam agnoscamus. Censuit enim animos civium ante omnia divino quodam colligandos esse vinculo. Quodsi quaeras, quanam in re cernatur, ipsius verbis respondere liceat, esse illud *τὴν τῶν καλῶν καὶ δικαίων περὶ καὶ ἀγαθῶν καὶ τῶν τούτοις ἐναντίων ὄντως οὖσαν ἀληθῆ δόξαν μετὰ βεβαιώσεως***). Quin etiam in connubiis conciliandis, aliisque rebus similibus, in quibus humanum reipublicae contineri vinculum voluit, plurimum valere iudicavit, ut omnes de rebus ad virtutem pertinentibus idem sentiant. Nam *τούτους δὴ τοὺς δεσμούς* (*humanos*), inquit, *ἔλεγον ὅτι χαλεπὸν οὐδὲν ξυνδεῖν ὑπάρξαντος τοῦ περὶ τὰ καλὰ καὶ ἀγαθὰ μίαν ἔχειν ἀμφότερα τὰ γένη δόξαν* (p. 310. E.) Quae quis est quin videat utique ad summum illum finem spectare secundum Platonem civitati propositum, qui in excolenda humanitate atque virtute promovenda cernitur?

Iam vero si res sic sese habet, ne illud quidem negare quisquam audebit, in hoc libro quasi stamina quaedam inesse eorum omnium, quae philosophus in libris de optima civitate et de le-

*) De hac re non est quod post SCHLOSSERUM in libro: *Universalhistor. Uebersicht d. Geschichte d. alten Welt* Vol. I. P. III. p. 279 sq. et HERMANNUM *Histor. Philos. Platon.* Vol. I. p. 662. denuo exponamus.

**) V. Politic. p. 309. C.

gibus exposuit. Nam Socherus certe nec in eo est audiendus, quod optimam illam Platonis civitatem in libris de republica conditam aliis niti principiis quam quae in Politico illustrentur arbitratus est*). Quippe in Politico philosophus nihil egit aliud, quam ut viri perfecta scientia civili praediti indolem atque munus describeret; civitatis optimae copiosam descriptionem non exhibuit; quamquam quae in libris Reipublicae de optima civitate disseruntur ex his tanquam principiis facili negotio deduci potuerunt. Etenim in Politico Plato informavit sapientem tanquam optimum reipublicae ducem et moderatorem; civitatis finem in virtutis honestatisque cultu positum esse significavit, quanquam nondum indicavit, quibusnam civium ordinibus haec vel illa virtus praecipue attribuenda sit; denique etiam illud ostendit, quid in iis rebus sit maxime respectandum, quae ad hominum varias necessitudines et coniunctiones maxime pertineant. Quae quidem omnia quantopere cum iis conveniant, quae in Reipublicae opere exponuntur, certe iis clarum erit ac perspicuum, qui perfectae illius civitatis, quam ibi finxit, tanquam imaginem quandam animis suis impressam teneant.

Vidimus igitur nunc atque intelleximus, quodnam munus Plato viro in civilibus rebus tractandis sapienter occupato iniunxerit, et quamobrem ita iudicaverit: vidimus item hanc opinionem cum ceteris eius operibus adeo conspirare, ut nihil magis possit. Restat ut paucis ostendendum sit eam expositionem simul etiam ad animi virtutem qualem voluit in perfecto civitatis moderatore esse conspicuam, recte informandam describendamque valere. Nam quales Plato statuit ab eo reddendos esse cives omnes atque singulos, talem etiam ipsum principem esse oportere iudicavit. Quamobrem hunc et ipsum ita moratum esse voluit, ut duplici animi indole insignis habeatur, strenua fortitudine ac miti ingenii lenitate sapientia temperata. Quorum omnium si quid desideretur aut non satis recte mixtum temperatumque sit, principem et magistratum ait ad rempublicam gerendam existere non satis idoneum.

Et plane cum his concordant quum alia tum illa Legg. IV. p. 709. E sqq. *φέρε δή, νομοθέτα, πρὸς αὐτὸν* (legumlatorem) *φῶμεν, τί σοι καὶ πῶς πόλιν ἔχουσαν δῶμεν, ὃ λα-*

*) V. l. l. p. 273.

βὼν ἕξεις ὥστ' ἐκ τῶν λοιπῶν αὐτὸς τὴν πόλιν διοικῆσαι; τί τὸ μετὰ τοῦτ' εἰπεῖν ὀρθῶς ἔστιν; — Τόδε· τυραννούμενόν μοι δότε τὴν πόλιν, φήσει. τύραννος δ' ἔστω νέος, μνήμιων καὶ εὐμαθὴς καὶ ἀνδρεῖος καὶ μεγαλοπρεπὴς φύσει. ὃ δὲ καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέγομεν δεῖν ἕπεσθαι ξύμπασι τοῖς τῆς ἀρετῆς μέρεσι, καὶ νῦν τῇ τυρανουμένῃ ψυχῇ τοῦτο ξυνετιέσθω, ἐὰν μέλλῃ τῶν ἄλλων ὑπαρχόντων ὄφελος εἶναί τι. — Σωφροσύνην μοι δοκεῖ φράζειν δεῖν εἶναι τὴν ξυνεπομένην ὁ ξένος, κ. τ. λ. Ταύτην τοίνυν ἡμῖν ὁ τύραννος τὴν φύσιν ἐχέτω πρὸς ἐκείναις ταῖς φύσεσιν, εἰ μέλλει πόλις ὡς δύνατόν ἐστι τάχιστα καὶ ἄριστα σχήσειν τὴν πολιτείαν, ἣν λαβοῦσα εὐδαιμονέστατα διάξει. Nimirum ibi legislator civitatem novam, quaeque ad perfectae civitatis similitudinem quam proxime accedat, conditurus ista omnia postulare debere dicitur, quemadmodum artifex aliquid postulet quod iam paratum et praesto esse debeat, si opus suum feliciter sit perfecturus.

Ita igitur facile apparet et mentem ac sapientiam, et officium eius atque animi moderationem, quae in ipso esse debeat, egregie esse depictam, ut vix quisquam habiturus sit quod amplius in eius specie et imagine desideret.

Sequitur ut quaerendum sit, quidnam philosophus inter virum civili scientia ornatum atque illos, qui vulgo civilis virtutis laude florebant, interesse iudicaverit*). Cuius rei iudicium itidem repetiit ex discrimine optimae illius civitatis, in qua recta sapientis ratio pro communi lege valet, et earum rerum publicarum, quibus vulgo homines utuntur. Quocirca distinguuntur vulgares civitates ab hominibus constitutae a vera illa atque optima; declarantur earundem origines; exponitur quatenus alia possit aliis esse vel deterior vel praestantior; denique aestimatur dignitas eorum, qui vulgo rerum civilium prudentia pollere putantur, oratoribus, iudicibus, imperatoribus ab civilis artis laude atque virtute omnino depulsis. Censet autem philosophus veram civitatem et quasi germanam unam esse illam, in qua sapientis arbitrio, hoc est recta ratione, omnia gerantur et administrentur; reliquas huius ipsius arbitratur esse quasi quaedam simulacra, ducta ex optimae

*) Explicatur de hac re inde a p. 297. B.

illius imitatione. Quod ipsum etiam alibi pronuntiavit. Sic enim De Rep. VI. p. 497 A sqq., ubi inter alia: *εἰ δὲ λήψεται (ἡ φιλόσοφος φύσις) τὴν ἀρίστην πολιτείαν, ὥσπερ καὶ αὐτὸ ἄριστόν ἐστι, τότε δηλώσει, ὅτι τοῦτο μὲν τῷ ὄντι θεῖον ἦν, τὰ δὲ ἄλλα ἀνθρώπινα, τά τε τῶν φύσεων καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων.* Legg. IV. p. 709. E sqq. 711. D sqq. Etenim Platonis sententia imbecillitas hominum genuit civitates eas, in quibus pro sapientis mente et ratione legum publicarum valet auctoritas. Namque homines cum optimi illius regiminis praestantiam mente sua non caperent ideoque desperarent futurum unquam esse, ut talis sapiens inter ipsos existeret; protenus ad legum usum confugerunt atque condiderunt eas respublicas, quae unice illarum vinculo continerentur. Itaque necessitate quadam factum esse ait, ut orirentur civitates perfecta illa multo deteriores, quandoquidem mutae illae atque rigidae legum perscriptarum praeceptiones ad vivam rationis totam rempublicam tanquam animantis vocem nihil comparandae sint*). Eandem prorsus sententiam habes Legg. libr. IX. p. 875. A sqq., unde haec apposuisse iuvabit: *ἐπεὶ ταῦτα (τὰ ξυμφέροντα ἀνθρώποις εἰς πολιτείαν) εἴ ποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανὸς, θείᾳ μοίρᾳ γεννηθείς, παφαλαβεῖν δυνατὸς εἴη, νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρξόντων ἑαυτοῦ· ἐπισήμης γὰρ οὔτε νόμος οὔτε τάξις οὐδεμία κρείττων. οὐδὲ θέμις ἐστὶ νοῦν οὐδενὸς ὑπήκοον οὐδὲ δοῦλον, ἀλλὰ πάντων ἄρχοντα εἶναι, ἐάν περ ἀληθινὸς ἐλεύθερός τε ὄντως ᾖ κατὰ φύσιν· νῦν δὲ οὐ γάρ ἐστιν οὐδαμοῦ οὐδαμῶς ἀλλ' ἢ κατὰ βραχύ· διὸ δὴ τὸ δεύτερον αἱρετέον, τάξιν τε καὶ νόμον, ἃ δὴ τὸ μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὁρᾷ καὶ βλέπει, τὸ δ' ἐπὶ πᾶν ἀδυνατεῖ.* Ibid. p. 876. A sqq. V. p. 739. A sqq. Atque hinc liquido sane apparet, cur Plato post libros de optima civitate etiam Legum opus litteris consignaverit. Nam optimam illam civitatem, quam finxit, non putavit unquam in ipsa hominum vita extituram, sed tanquam exemplar quoddam proposuit, in quo et optimi hominis et perfectae civitatis imago atque species expressa cerneretur. De qua re ipse explicat loco notissimo Reip. V. p. 471. C sqq. ubi Glauco a Socrate postulat, ut tandem eiusmodi civitatem condi revera posse

*) Praeclarus de hac re locus est p. 297. D E sqq.

ostendat: clarius etiam libro IX. p. 592. A. B. disserit, inter alia his utens verbis: *αὕτη δὲ ἡ πόλις ἐν λόγοις κειμένη, ἐπεὶ γῆς γε οὐδαμοῦ οἶμαι αὐτὴν εἶναι; ἀλλ' — ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὁρᾶν καὶ ὁρῶντι ἑαυτὸν κατοικίζειν. διαφέρει δὲ οὐδὲν εἴτε που ἔστιν εἴτε ἔσται.* Quocirca etiam eam condere civitatem animum induxit, quae quum leges haberet, tamen quam proxime ad optimae illius reipublicae laudem ac praestantiam accederet: cui deinde etiam tertiam adiungi posse vidit, quae fundamento verae innixa reipublicae rerum suarum constitutione uteretur pro temporum locorumque rationibus emendata*). Haec omnia igitur Plato quo tempore Politicum scripsit, iam adeo habuit explorata, ut eorum omnium, quae postea temporis de his rebus meditatus est, in hoc libro quasi initia quaedam reperiri existimemus. Nam et optimae civitatis speciem non quidem descripsit, sed leviter adumbravit, et verae reipublicae, ad illius praestantiam quam proxime accedentis, fecit quandam designationem, et reliquas descripsit civitates humanas ostenditque quanto intervallo singulae ab optima republica distare existimandae sint.

Sed redeamus in viam. Vidimus igitur, qualem Plato originem humanarum civitatum esse voluerit. Sequitur ut quid de earum dignitate senserit, explicari oporteat**). Et optimam quidem ex his, quamvis perfectae illi longo demum intervallo proximam, uti par fuit, iudicavit eam, in qua leges publicae a sapientibus viris scriptae sint. Etenim legem sapientem censuit menti et rationi cognatam et quasi eius vicariam esse, sicuti ipse ait Legg. IV. p. 713. E. XII. p. 957. C. Quapropter etiam eos, qui talibus legibus utentes easque religiose observantes rempublicam tractent, perfecto illi regi, quem optimae civitati praefecit, non absimiles esse arbitratur; quanquam eosdem, quum illum tantummodo imitari videantur, non exiguo intervallo illi postponendos statuit. Sed accedere praeterea etiam hoc oportere censet, ut leges semel perlatae et religiose custo-

*) V. Legg. l. c. p. 739. A sqq. et quae de his exposuerunt Boeckhius in Plat. Min. p. 65 sqq. Morgensternius De Republ. p. 179 sqq. et p. 284.

**) De his exponitur p. 301. A sqq.

diantur et caute immutentur, si qua earum mutandarum incidat necessitas. Quocirca populi multitudini legum rogandarum libertatem omnem omnino adimit, quandoquidem nunquam futurum esse arbitratur, ut maior aliquis hominum coetus artem civilem aut probabiliter percipiat aut recte teneat *); unis viris prudentibus illud tanquam proprium opus attribuit. Fuit igitur, sicuti apparet, in ea sententia, ut nec magnae multitudini rerum gravissimarum iudicium committendum nec novandae lubidini ullo modo indulgendum esse censeret. Quod ut ita statueret, inprimis effecisse videtur popularis imperii licentia, quae quum in aliis Graeciae civitatibus tum maxime Athenis ita grassari occeperat, ut nec legum et magistratuum salva constaret auctoritas nec immutandae reipublicae cupiditatis, qua furiosa plebis multitudo tanquam morbo aliquo correpta fuit, finis ullus futurus videretur. Et confirmari eius hac de re iudicium potuit etiam iis, quae Pythagorei in eadem caussa censuerunt. Nam Pythagoram constat plebi in republica adeo nihil concessisse, ut Ninoni, fraude utique turpissima, comminisci liceret, philosophiam viri totam nihil esse aliud nisi factam contra plebem conspirationem quandam, eoque furorem populi concitare, sicuti scribit Apollon. ap. Iamblich. §. 260. Nimirum philosophus Samius persuaserat sibi penitus hoc: *φαῦλος κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος.* Quamobrem idem monebat identidem, in legibus et institutis patriis vel tum esse permanendum, si ceteris essent deteriores; neque enim bene consulere patriae eos, qui rebus publicis novandis indulgerent: de qua re quae apud Ston. Florileg. T. III. p. 115. et apud Iamblich. Vit. Pythag. §. 176. sqq. leguntur, ea ex Aristoxeno hausta esse demonstravit Mahnius De Aristox. p. 104. Et vero etiam quotidie suos cohortabatur *νόμῳ τε βοηθεῖν καὶ ἀνομίᾳ πολεμεῖν*, ut est apud Iamblich. §. 100. 171. 225. Videmus igitur ex his clarissime, etiam hac in caussa Platoni cum Pythagoreis prorsus convenisse: quod etsi per se leve est, tamen observare non inutile videbatur propterea, quod etiam alibi in hoc libro vestigia rationis Pythagoricae extare animadvertimus **). Pergimus nunc

*) V. p. 300. E.

**) De Platone democratiae osore cum hoc loco Politici p. 297.

tandem ad ea, quae philosophus de singulis verarum civitatum generibus exposuit.

Distinxit igitur, vulgarem secutus rationem, quam tamen ipse quoddammodo corrigit et reprehendit ubi rem non tam ex imperantium multitudine quam ex scientiae possessione indicandam esse significat *), tria genera civitatum, prouti aut uni tribuatur reipublicae regendae consilium, aut delectis quibusdam, aut suscipiendum sit multitudini atque omnibus **). Unumquodque horum rursus duplex esse posse dicit, prouti legum auctoritas aut sancta habeatur aut lubidinose negligatur. Nam penes unum ubi sit rerum omnium summa, aut regnum aut dominationem sive tyrannidem inde existere; ex eadem re, ubi delectis summa rerum potestas sit, oriri aut optimatium imperium, quod Graece vocatur aristocratia, aut imperium paucorum sive *ὀλιγαρχίαν*; denique in civitate populari, in qua omnia sint in populo, ex legum vel reverentia vel neglectione et contemtu duplex populi imperium nasci, quod communi nomine democratiae vocetur, quum tamen pravum a recto distingui oporteat ***). Usitatam hic diximus a Platone usurpari varia civitatum genera distinguendi rationem. Quod tamen secus visum est Socherno, cui scrupulum iniecit, quod Plato libro VIII. de Republ. p. 543

B — 300. E. utiliter comparaveris Reipubl. VIII. p. 557. A — 558. C. ubi praeclara democratiae descriptio est, qua carpi rempublicam Atheniensium manifestum putamus. Conf. etiam Reip. VI. p. 493. A sqq. Hoc igitur ochlocratiae odio inflammatus philosophus in optima civitate sua populum a reipublicae cura et administratione omnino prohibuit.

*) Polit. p. 291. C sqq.

**) De variis reipublicae generibus ex sententia veterum v. Aristot. Reip. III. 7 sqq.; Cicero. Legg. III. 7. De Rep. I. 16 sq.; Tacit. Ann. IV. 33. et Luzac. De Socrate Cive p. 63 sqq.; Huellmann. Staatsrecht des Alterthums p. 111.; Schoemann. Antiquitatt. Iuris publ. Graecor. p. 55 sqq.

***) V. p. 291. C. sqq., ex quo loco luculente apparet *ὀχλοκρατίας* nomen Platonis aetate nondum in usu fuisse. Nec illo usus est usquam Aristoteles. Nimirum frequentatum est demum inde a Polybii aetate, qui habet libro VI. 4, 6. 57, 9. Aristoteles Polit. III. 5. §. 1—4. laudabilem popularis imperii formam *πολιτείαν*, deteriorem eius speciem *δημοκρατίαν* appellat.

sqq. aliud quid secutus est*). Nimirum hoc vere est illud, quod in proverbio dicitur, nodum in scirpo quaerere. Nam in libris de optima civitate quoniam quaeritur quomodo respublica morata esse possit, philosophus disputationis institutae consilio convenienter, pro ingeniorum diversitate uni illi optimae civitati, unde item perfectissima cognosceretur hominis natura, quattuor pravas reipublicae formas opposuit, quae eaedem etiam in singulorum hominum ingeniis atque moribus expressae cernerentur. Quocirca prudenter ibi distinxit timocratiam, oligarchiam, democratiam et tyrannidem, ex quibus primam inter corruptas optimam, ultimam autem longe pessimam arbitratur**). In Politico autem taxaturos eos, qui in civitatibus vulgaribus civilis prudentiae laude excellere putabantur, fieri paene non potuit quin etiam vulgarem de variis rerumpublicarum formis opinionem sequeretur***). Neque ratione caret, quod paullo aliter rursus in distinguendis variis imperii atque civitatum generibus versatus est libro III. Legg. p. 693 sq. Ibi enim regii imperii formas fecit tres: *βασιλείαν*, quae una esset legitima ac laudabilis, *δεσποτείαν*, qualis vigeret apud orientis populos, et *τυράννιδα*, quae imperio per vim occupato existeret; item paucorum imperium triplex distinxit, *ἀριστοκρατίαν*, in qua potestas penes optimates esset, *τιμοκρατίαν*, quum cives honoribus ac dignitatibus conspicui regnarent, et *ὀλιγαρχίαν*, si singulae quaedam familiae vel gentes perpetuum tenerent imperium; denique in imperio populari sive democratia populi valere statuit voluntatem, unde tamen oriri saepenumero intemperantem plebis dominationem. Haec igitur quis est quin videat pariter recedere plurimum ab ea civitatum distributione, quam antea memoravimus? Enimvero non fuit Plato adeo addictus certis quibusdam opinionibus, ut eas non pro varia ac diversa rerum tractandarum ratione aut immutaret leviter aut scribendi consiliis adaptaret. Quamobrem qui in talibus offendunt, ii plerumque non

*) V. De Scriptis Plat. p. 273.

**) V. quae de libri octavi Reipubl. argumento exposuimus edit. nostrae p. 163—165. Vol. II.

***) Iudicium Platonis de varia civitatum dignitate atque pretio examinat ARISTOTEL. Politic. l. IV. c. 2. p. 141. ed. Schneider.

satis perspexerunt, quid ille hac sententiae, quae videtur esse, inconstantia et varietate sibi voluerit. Sed redeamus unde digressi sumus. Hac igitur civitatum in sex genera usus distributione philosophus etiam iudicium fecit de earundem dignitate et praestantia. Quod etsi ipse vidit proprie ad praesentis materiae illustrationem non esse unice necessarium, tamen quoniam plerumque ex utilitatibus vel detrimentis, quae quid habeat, de eius dignitate statuatur, non temere de hoc quoque loco tanquam in transcursu paucis disputavit. Et vero redundat sane ex hac re aliquid lucis in ea, quae de viris in republica tractanda versantibus exposuit. Arbitratur igitur inter omnes imperii formas nullam esse, quae pro rerum conditione peior aut melior sit regia; ultimum autem locum tenere populare imperium, quippe quo plerumque prohibeatur quominus bona et laudabilia consilia strenue constanterque peragantur, quanquam in ea, quam habeat, potestatis inter plurimos divisae imbecillitate nec multa mala importare queat. Quocirca controversiam ita dirimit, ut in populari civitate vivere optimum arbitretur tum, quum omnes omnino civitates peraeque depravatae sint; sin omnes bonae videantur, monarchiam omnium optimam et praestantissimam habendam esse pronuntiet. Quod quidem iudicium si quaeris quo fundamento nitatur et unde repetitum sit, fecit illud philosophus ratione habita felicitatis et utilitatis, quam singulae rerumpublicarum formae allaturae videantur. Quare nec mirum est, quod alibi etiam aliter de hac re pronuntiavit aliarum rerum habita ratione, praesertim quum etiam civitatum genera aliter ibi discreverit. Nam libro VIII. Politiae tyrannidem ultimo, democratiam penultimo loco inter depravatas respublicas posuit, timocratiae vero inter easdem primum locum assignavit. Quippe ibi rem aliter diiudicavit alio modo spectatam: respexit enim, ut antea diximus, maxime ad imperantium ingenia, in quibus quum singulorum civium tum universae reipublicae mores expressi cerneretur. Quamquam si summam rei consideres, idem fere illic eius iudicium est quod in Politico. Nam optima certe civitas sive *βασιλεία* est sive *ἀριστοκρατία*, etiam in illo opere ceteris rebus publicis omnibus longissime anteponitur; populare autem imperium et saeva unius dominatio ita aestimantur, ut quae de illis dicuntur, planissime conveniant

eum iis, quae in Politico sunt exposita. Similis fere ratio eorum est, quae de eodem argumento in Legum opere disseruntur. In quo quum omissa perfectae reipublicae specie et imagine de vera tantum civitate agatur, qualis in humana societate ad optimae reipublicae similitudinem constitui queat, profecto nihil offensionis habere potest, quod res rursus aliter paullo decernitur. Quamquam de rei summa neutiquam ita iudicatur, ut philosophus a sua ipsius ratione descivisse existimandus sit. De qua re probabiliter exposuerunt Koeppen in Politica Platon. p. 128 sqq. et Car. Dilthey in Examine librorum Platon. de Legibus p. 28 sqq. qui recte Astii de his rebus opiniones confutavit. Itaque haec omnia apparet in Politico sic esse explicata, ut cum Platonis ratione in aliis libris prodita omnino congruant. Sunt vero etiam ad rem praesentem aptissime exposita. Nam absoluta harum rerum quaestione clarissime profecto apparet, quid inter virum vere regalem, quem finxit philosophus, et inter eos, qui in veris civitatibus rempublicam tractent, interesse existimandum sit. Hi enim ad illum comparati nihil sunt nisi vani illius aemuli et imitatores, arte ac sapientia civili, philosopho digna, fere destituti, imo magnam partem miseri praestigiatores ac sophistarum omnium maximi et perniciosissimi. Quam quidem sententiam quod Plato studiosius et acrius in hoc libro defendit, id certe non poterit cuiquam mirum accidere, siquidem vera sunt quae antea de caussis et opportunitatibus huius scriptionis disputavimus. Ipsa enim tempora ita tulerunt, ut quid de perfecta arte civili deque depravatis Graeciae civitatibus sentiret, quam liberrime exponeret, ne quis ipsi ingratam in patriam impietatem exprobraret. Quamobrem nec iis ullo modo pepercit, qui quum nihil essent nisi humiles et vulgares reipublicae administri, tamen stolide prudentiae civilis quam maximae laudem et existimationem affectabant. Ostendit enim luculentissime, artem oratoriam, iudiciariam, imperatoriam, neutiquam esse civili rationi aequiparandam, sed huius tantummodo famulam quandam et adiutricem. Vates autem scribas, sacerdotes, aliosque id genus homunciones, inani sapientiae civilis opinione misere inflatos, satis acerbe perstrinxit et castigavit*).

*) V. p. 303. A — D.

Enimvero idem prorsus hic statuit, quod pronuntiavit in Gorgia p. 517. B sqq., ubi eos, qui reipublicae vulgo ministrent, viles eius famulos esse arbitratur, ad omnem lubidinem civium explendam iusto paratiores.

Sed tempus est huic disputationis nostrae parti tandem finem imponere. Satis enim videmur ostendisse, quid Plato de perfecto perfectae reipublicae rege et moderatore deque iis, qui veluti adulterini quidam eius imitatores sint, statuendum putaverit. Quae quidem pars operis Platonici sicuti est longe gravissima, ita copiosior eius explicatio, si modo non infeliciter cesserit, facilem, ut spero, apud omnes inveniet excusationem.

CAP. VI.

Explicatur fabula de variis mundi aetatibus varioque eius regimine.

Superest, ut tertia libri pars dilucidanda sit, quae et ipsa ad cognoscendam Platonis sententiam rationemque, quam in hoc dialogo scribendo secutus est, non parum momenti facit. Nondum enim tractavimus locum illum gravissimum, qui continet narrationem de variis mundi aetatibus atque rerum hominumque conditione inde oriunda. Hunc igitur nunc ita excutiamus, ut et quaeramus quorsum pertineat et quasnam habeat caussas atque origines paullo accuratius dispiciamus. Quibus exploratis, quid de tota illa narratione existimandum sit, veluti sua sponte apparebit*).

Quodsi igitur universe quaerimus, cur narratio ista subtilissimae illi de arte civili disputationi intertexta sit et quorsum ea pertineat; primo certe adspectu eo consilio videri possit esse interposita, ut divinus politicus, ut ita dicam, accuratius

*) Nonnulla de hoc loco exposuit Astius De Vita et Scriptis Platonis p. 234 — 37. qui tamen rem non perfecisse, sed inchoasse tantum existimandus est. Hinc factum putamus, ut Socherus l. l. pag. 273. perversissima de eo iudicaverit. Quocirco conferenda sunt etiam quae Astius postea in Annal. Vindobonn. a. 1821. Vol. XIV. p. 100 sqq. contra Socheri opinionem disputavit, ubi tamen item pauca tantum illustrare conatus est. Vid. etiam Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 258 sq.

discernatur ab humano; qui disputandi praebuit occasionem, ideoque doceatur accuratiorem viri civili sapientia instructi definitionem requirere hoc, ut in locum vocabuli ἀγελαιοτροφικῆς, quo antea usus erat Eleates, substituatur nomen ἀγελαιονομικῆς, quippe quod illo minus late pateat*). Nec profecto dubium est hoc ipsum a Platone significari. Illud tamen non iniuria dubites, num philosophus id unum secutus sit. Nam et amplitudo et gravitas huius loci ea est, ut altius quiddam spectari videatur. Et certe nostra sententia plus haec habent in recessu quam fronte promittunt. Quippe est hic Platonis mos, ut interdum, quum videatur ludere aut res leviores tractare, si propius introspicias eius mentem, res gravissimas et ad rerum explicandarum cognitionem utilissimas tradat et illustret. Quodsi autem quaeris, cuiusmodi tandem illud sit, quod hoc loco explicatur; vel usus mythi quid rei sit admonere nos potest. Solet enim philosophus mythos fere tum usurpare, quum de iis rebus agitur, quae quum certam perspicuamque mentis humanae cognitionem fugiant, tamen ob rationes quasdam statuuntur fuisse aut futura esse, sed non ita cognoscuntur, ut quomodo fuerint aut futura sint intelligatur, propterea quod non tam scientia et cognitione comprehenduntur, quam veritatis quasi divinatione quadam attinguntur. Quamobrem fabulae illae, quamvis ex scientiae tanquam fonte et principio natae, tamen iis rebus probandis demonstrandisque adhibentur, quae dialectica pervestigatione certius exquiri non possunt; inserviuntque potius eorum illustrationi, quae posita sunt in quadam mentis praesagitione, propterea quod natura sua sunt excelsiora, sublimiora, diviniora, quam quae in mentis humanae scientiam et cognitionem cadere existimanda sint**). Quamobrem vel ex hac re suspicari licet, agi nunc de re aliqua ad civilem rationem pertinente, quae altiorem sibi exposcat indaginem, neque artis dialecticae subti-

*) V. p. 268. B. et p. 275. B.

**) Iniquius multi de usu fabularum apud Platonem iudicaverunt. Ita iam Colotes apud MACROBIUM Saturn. libr. I. c. 4. „*Ait a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret.*“ At enim vero istiusmodi iudicia ex eo originem habuerunt, quod plerique caussis rei non perspectis Platonis rationem ex sua ipsorum ratione iudicaverunt.

litate prorsus exquiri possit. Huc accedit aliud quid, quod et ipsum nos possit eo deducere, ut de totius loci vi et gravitate rectius statuamus. Solet enim Plato rerum singularum considerationem referre ad contemplationem universi; res humanas comparare cum divinis; denique mutuam necessitudinem, qua singula cum communi et universo contineantur, aliqua ratione significare. Quod inprimis etiam in iis fecit dialogis, qui cum Politico argumenti quadam cognatione continentur. Ut quum in Politia civitatem suam naturae hominis bene morati eique perfectae et absolutae similem finxit, aut in Timaeo hominis indolem et naturam docuit cum rerum universitate ita convenire, ut plane cernere nobis videamur tanquam macrocosmum aliquem atque microcosmum tanta similitudine inter se cognatum, ut mutua utriusque coniunctio paene in oculorum conspectum veniat. Quid igitur? num forte philosophus simile quiddam etiam in eo sequutus est, quod Eleatam in Politico copiosissimam de variis mundi aetatibus narrationem exponere iussit? num similitudinem quandam ac necessitudinem civitatum humanarum cum totius rerum universitatis gubernatione et fortuna voluit significare in eaque re explicanda fabulae involucro ideo usus est, quod eius cognitio, si qua esse videretur, quasi quadam contineretur animi coniectura ac divinatione? Fatemur libere eam sententiam nobis probari unice. Sed ut appareat quo iure ita sentiamus, age primum exquiramus, quaenam coniunctio huic operis parti cum disputatione de arte gubernandae reipublicae instituta intercedat; ac deinde videamus, quid ex ea re de vera Platonis sententia probabiliter coniicere liceat. Quibus exploratis denique de singulis totius narrationis partibus ita disputabimus, ut simul de eius fontibus, si qua opus sit, admoneamus.

Et connexio quidem fabulae cum ea, quae de civitatis gubernandae arte ac ratione instituitur, disputatione ita intelligetur facillime, si antea exploratum habeatur, unde philosophus humanarum civitatum virtutem atque laudem omnem maxime suspensam esse voluerit. Id vero animadvertere et intelligere haud sane difficile arbitramur. Nam quicunque vel mediocri animi attentione perlustraverint quae antea de variis civitatum generibus earumque administratione secundum Platonem exposuimus; iis neutiquam poterit dubium aut incertum videri, philosophum

in ea fuisse sententia, ut quamque civitatem eo meliorem, praestantiorem ac perfectiorem esse iudicaverit, quo magis in ea vigeat vis rationis atque mentis imperium. Atque hinc profectus duo maxime discrevit rerumpublicarum genera, alterum perfectae illius civitatis, qua nihil melius mente et cogitatione fingi queat, propterea quod in ea absoluta sapientis ratio vigeat ac pro summa et communi lege valeat; alterum earum civitatum, quae ortum suum habeant ab humana imbecillitate, quaeque ita tantum propius ad perfectae illius reipublicae laudem ac praestantiam accedant, si leges publicae et a sapientibus viris scribantur et incidente mutandi necessitate ab iisdem emendentur; a ceteris autem civibus omnibus pro sanctis et inviolabilibus habeantur. Quid igitur? his duobus civitatum generibus nonne manifestum est plane respondere duas illas aetates, quas in totius universi gubernatione et quasi vita conspicuas esse arbitratus est? Enimvero ego si quid video, aetas illa Saturnia, quam describit Eleates, tanquam e regione collocata est optimae civitatis gubernationi, in qua unice perfectae rationis imperium valet; Iovis autem aetas quae dicitur, ea certe non absimilis est iis civitatibus, quae pro ratione scriptis utuntur legibus, quaeque quum omnino a perfectae reipublicae specie et imagine longo intervallo distent, tum inter ipsas multum eo discrepant, quod aliae aliis habentur deteriores. Haec igitur est coniunctio illa atque necessitudo, qua tota haec narratio cum rerum civilium disputatione continetur. Atque hanc tenentes facile, opinor, reperiemus, quidnam tandem illud sit, quod Plato hac sua narratione sibi voluerit. Nam illud quidem iam nemo sibi persuadebit, quod iam antea refellere conati sumus, haec unice subtilioris definitionis reperiendae caussa sic esse narrata: hanc unam enim si philosophus anquisivisset, certe tantis ambagibus haudquaquam opus fuisset. Sed videamus quid rei sit.

Ac primum quidem illud omnibus apparere arbitramur, gubernationi humanarum civitatum omnium tanquam exempli instar e regione collocari regimen universi, unde cognosci et intelligi liceat, unamquamque rempublicam ita tantum beatam perfectamque fore, si per omnes eius partes vis rationis atque auctoritas quasi diffusa sit planeque dominetur, sed tanto existere praviorem atque miseriorem, quo magis a rectae rationis

usu desciscat et ad lubidinis et cupiditatis indomitam licentiam abripiatur; huius autem mali eventis ita tantum occurri, si rationis vis et efficientia non plane auferatur sed subinde cupiditati per eam tanquam frena iniiciantur. Quocirca philosophus civitatum rectoribus tanquam exemplum quoddam ob oculos posuit, in quod intuentes, quid in iis administrandis sequendum esset, admonerentur. Quod quale sit, etsi in Politico non claris verbis enuntiavit, sed legentium coniecturae reliquit, tamen aperte proloquutus est libro IV. Legum p. 713. C sqq. Ibi enim posteaquam de Saturni imperio eiusque beatitate iisdem paene verbis, quibus in Politico, explicatum est, Clinias haec addit: „Itaque verissime, inquit, dicitur, civitati, quam non Deus sed hominum aliquis regat, malorum et laborum nullum esse effugium; sed omni studio nos imitari oportere vitam, quam Crono imperante degerint homines, et immortalis in nobis naturae praeceptis obsecutos publice privatimque regere civitatem atque domum, *τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν ἐπονομάζοντας νόμον.*“ Quae profecto ita sunt comparata, ut Politici loco clarissimam affundant lucem et prope eius illustrandi gratia scripta videantur. Proposuit igitur Plato, ut apparet, civitatum moderatoribus totius rerum naturae exemplum, ut haberent, in quod intuentes in illis regendis administrandisque rectam rationem sequerentur.

Nec tamen in eo omnia inesse putamus. Imo ille, si quid iudicare possumus, etiam maius quiddam spectavit. Nam illud ipsum rerum universitatis exemplum ob oculos positum eiusmodi est, ut altioris illius sapientiae vestigia ostendat, cuius caussa philosophus ad fabulosae potissimum narrationis usum sibi confugiendum esse iudicavit. Quippe philosophus sese fabulam narrare simulans etiam totius rerum naturae mysteria quaedam aperit, quae certe eiusmodi sunt, ut mente humana non plane intelligi, sed tantum incerta animi coniectura divinari queant. Etenim disputans de humani ac divini rerum communium gubernatoris discrimine, et quid illi potissimum propositum esse debeat exquirens sapientissime eam interposuit narrationem, unde, priusquam de humanarum civitatum discrimine et vicissitudine disputatur, facile suspicari liceat, etiam in universo dominari hanc legem, ut certis quibusdam temporum orbibus circumactis omnia modo in

peius ruant, modo in melius mutentur. Itaque significatur et universi mundi et humanarum civitatum eandem aut similem certe esse fortunam. Qua quidem comparatione efficitur hoc, ut quum in humanarum civitatum moderamine ac statu iudicando universum quasi speculum aliquod propositum cernamus, in quo illarum tanquam repercussam imaginem quandam videre liceat, tum ex humanarum rerum similitudine de omni rerum universitate eiusque natura et conditione coniecturam capere possimus. Significavit igitur Plato, etiam hoc totius mundi animal, quod alio loco appellavit, natura sua ita esse comparatum, ut modo divinae rationi pareat et obsequatur, modo coeco sui amore captum cupiditati ac lubidini indulgeat, eoque ipso accidere, ut exactis certis quibusdam temporum circuitibus rerum omnium status et conditio immutetur.

Sed ne id temere suspicati esse potius quam prudenter ita statuisse videamur, exquisivisse iuvabit, quid Platoni omnino de his rebus visum sit. Nam ubi demonstratum fuerit, hanc sententiam de variis mundi conversionibus earumque caussis revera Platoni fuisse probatam aut certe universae eius doctrinae non adversari, certius etiam exploratum habebimus, veram esse loci interpretationem a nobis propositam.

Et illud quidem extra omnem dubitationem positum est, Platonem certos quosdam temporum orbes et quasi circuitus statuisse, quibus rerum adspectibilium omnium vel origines vel interitus evenirent. Quapropter non modo hanc terram nostram multas olim variasque subiisse mutationes censet, aqua vel igne effectas, sed etiam omnia, quae aliquando orta sint, etiamsi originem habeant divinam, interitui obnoxia esse arbitratur*). Iam vero quum nihil usquam extet, quod non sententia ipsius mutationis ac vicissitudinis necessitati subiectum sit; ecquis est, qui sibi persuadeat eum de tota rerum universitate aliter existimavisse? At enim vero, inquit aliquis, docuit tamen philosophus mundum esse aeternum et indissolubilem; qui igitur fieri potest, ut eundem iudicaverit interitus necessitati subiectum? Audio. Nimirum ista mundi aeternitas certe non prohibet, quo

*) V. De Rep. VIII. p. 546. A. *γενομένῳ παντὶ φθορά ἐστιν.* Ibid. B. Tim. p. 22. C. Legg. III. p. 677.

minus varium ac multiplicem subeat statum et conditionem. Quocirca vel sic philosophus potuit existimare, certis quibusdam temporum intervallis rerum ortarum incidere vicissitudinem. Atque id ita esse certissime ex Timaeo intelligitur. Nam ibi loco nobilissimo, ubi de anima mundana disputatur, huic ipsi, quippe ex elemento diviniore atque corporeo compositae, proprium esse dicitur, ut et recte sentire atque intelligere et vero etiam falsa opinari queat*). Quid igitur? nonne inde consequitur, ut etiam universi mundi tanquam vitam variam esse statuendum sit, prouti anima ei indita vel recta et vera cognoscit vel vanis occupata est opinionibus? Nimirum omnis mali principium secundum Platonem in corporum cernitur materia. Quae quum proclivis sit ad motus turbulentos et infinitatis inconstantiam, accidere interdum solet, ut animi, quamvis divinae rationis capaces, tamen ad fraudem et errorem abripiantur ideoque tanquam necessitate quadam coacti rationi non obtemperantes ruant in deteriora. Nemo enim sua sponte malus est: nec tamen idcirco impune licet corporis pravitati ac lubidini indulgere, quoniam propensio ad has perturbationes rationis usu vinci ac perdomari potest. Et hoc quidem sicuti de hominibus ita iudicandum est, ita etiam de toto mundo tanquam animali existimari oportet. Nam huic quum animus inditus sit item ex elemento non intelligibili modo verum etiam sensili compositus; fieri profecto etiam potest, ut divinae ipsum gubernationis capiat oblivio. Gaudet tamen et ipse sua libertate, sicuti humanus animus, ut similiter atque hic libere agere queat, quamvis ipse Deus rerum omnium curam gerat. Quamobrem ei etiam motus tribuitur proprius atque suus, sicuti Tim. p. 34. C sqq. factum. Atque ex ea re explicationem habet difficilis ille locus Legum libr. X. p. 896. E sqq., ubi malus mundi animus non est alius, quam quem rerum divinarum invasit incuria ac negligentia; neque cogitandum de duplici animo mundano, bono altero, altero malo, quod nonnullis placuisse videmus**). Et

*) V. Tim. p. 37. A coll. 44. A. et 51. D.

**) Verum ex parte iam perspexit TENNEMANN. System. Philos. Plat. T. III. p. 175 sqq., quem nollem accusavisset BOECKHIUS in Studiis a DAUBIO et CREUZERO editis Vol. III. P. I. p. 25 sq. malum animum mundi nullum omnino esse arbitratus. Scribit enim haec: *Der Intelligenz allein kommt das wahre Sein zu; folglich ist die böse Welt-*

haec quidem si vera sunt, facile apparebit, potuisse Platonem utique doctrinae suae convenienter ita iudicare, ut mundum certis quibusdam temporum intervallis pravo corporis amore captum et sensili animi parti nimium indulgentem ad deteriora relabi statueret utpote divinae rationis non satis memorem. Atque id ipsum est quod ab eo in Politico fabula nobilissima significari existimamus. Coniunxit enim hic priscas de variis mundi aetatibus narrationes cum suis ipsius opinionibus, atque mundum iudicavit, quamdiu divinae rationi obtemperet, non modo salvum et incolumem, verum etiam beatum permanere; ubi autem a divino quasi desciscat et nativae indulgeat lubidini, tristiora habere tempora, quam ut divinioris vitae beatitas consistere ac permanere queat. Sed his ipsis dum philosophus opinionem suam de caussis depravationis quum in universo tum in rebus humanis subinde ingruentis tanquam per transennam ostendit; simul etiam id consecutus est, ut grandi sane et magnifica narratione suam de humanarum civitatum salute sententiam confirmaverit, qua certissime sibi persuaserat, unamquamque civitatem ita demum bonam perfectamque fore, si tanquam Saturniae aetatis aemula quaedam rectam rationem habeat ducem et magistram; sin autem neglecto rationis imperio cocca quadam lubidine administretur et cupiditatum vim dominari sinat, tum vero perpetuo in peius ruere et ad interitum ferri praecipitem, nisi rursus ad rectae rationis legem atque normam componatur.

Exquisivimus tandem et invenimus, quid Plato narranda fabula illa in universum quidem spectaverit et quatenus argumentum eius cum reliqua viri doctrina consentiat. Nam etsi de totius mundi conversionibus et commutationibus alibi, quantum nos quidem sciamus, non iteravit quae hic perscripta leguntur,

---

seule gar nichts Wahrhaftiges, sondern ein Nichtiges, wie die ausser der Vernunft gedachte Körperwelt selbst, — und nur die gute ist in Wahrheit, wie die Ideenwelt, und dadurch dass sie der Ideenwelt theilhaftig ist. At eodem argumento facile probaveris animum hominis malum atque improbum esse omnino nullum: quod certe a Platonis sententia plurimum abhorret.

tamen quum ea cum philosophi ratione planissime conveniant, dubitari certe non potest quin pro Platonicis probanda sint.

Sed adiicienda hic nonnulla videntur, quae ad ea, quae diximus, melius iudicanda rectiusque aestimanda valeant. Quibus expositis transire licebit ad indagandos fontes, quibus philosophus in componenda hac narratione usus est. Qua quidem disputationis nostrae parte item confirmatum iri speramus, quae de totius fabulae argumento et proposito iudicavimus.

Ac primum quidem pauca dixisse iuvabit de optimae civitatis cum regno Saturnio comparatione. Quam si propius intuemur, facile intelligemus, quid Plato de veritate illius senserit et quatenus eam hoc quidem rerum mortalium statu revera condi posse iudicaverit. Composuit enim eam cum beatissimis illis temporibus aetatis aureae, quae quamvis a plurimis laudata, ab omnibusque desiderata sint, tamen a nullo reditura unquam existimantur. Ex quo liquidum est philosophum nec ea tempora, quibus civitates perfecta ratione regantur, in hoc mortalium statu et conditione unquam adventura esse existimavisse. Enimvero Plato ultra res humanas perpetuae mutationi obnoxias ad rerum divinarum sempiternitatem animo atque mente elatus talem condidit civitatem, qualis extitura esset sine magnarum illarum vicissitudinum necessitate, quam ipsa rerum generatarum infirmitas atque inconstantia affert. Quocirca perfectae reipublicae atque optimae civitatum gubernationis imaginem eo tantum consilio proposuit, ut tanquam exemplar quoddam extaret, ad cuius similitudinem civitates humanae atque interitui obnoxiae vel ordinarentur vel regerentur. Quodsi igitur quaeritur, num exemplar illud optimae reipublicae perfici et in ipsius vitae veritatem introduci posse iudicaverit, ipse sane hoc fieri non posse fatetur, quanquam singulari quadam numinis divini beneficio evenire posse censet, ut sicubi in summa omnium rerum prosperitate princeps optimo praeditus ingenio et prudenter ad sapientiam institutus existat, proxime sane ad illius laudem ac praestantiam perveniatur. Sic enim Legg. IV. p. 709. E sqq. Atque haec si tenueris, profecto non miraberis, quod regem suum philosophum ita depinxit, ut num ille usquam possit existere, ne verbo quidem significaverit. Enimvero quum antea fabulam illam de saeculo Saturnio praemisis-

set, cum quo sine controversia optima civitatis perfectae gubernatio componitur, rectissime sane reliquit legentium iudicio, quid de ea re existimandum esset; hoc unum significavit, maius quiddam esse perfectum sapientis imperium, quam quod vulgo homines mente sua assequantur. Platonis sententiam quodammodo secutus est Posidonius Stoicus, qui teste Seneca Epist. 90. primum genus mortalium a sapientibus regi solitum scripsit. Quem locum operae pretium erit hic apposuisse: *Illo ergo saeculo, quod aureum perhibetur, penes sapientes fuisse regnum Posidonius iudicat. Hi continebant manus, et infirmiores a validioribus tuebantur: suadebant dissuadebantque, et utilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, providebat; fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat ornabatque subiectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset, adversus eos experiebatur, per quos coeperat posse. Nec erat cuiquam aut animus in iniuriam aut caussa, quum bene imperanti bene pareretur, nihilque rex maius minari male parentibus posset, quam ut abiret e regno. Sed postquam, surrepentibus vitiis, in tyrannidem regna versa sunt, opus esse coepit legibus, quas et ipsas inter initia tulere sapientes. Solon, qui Athenas aequo iure fundavit, inter septem aevi sapientia notos. Lycurgum si eadem aetas tulisset, sacro illi numero accessisset octavus. Zaleuci leges Charondaeque laudantur. Hi non in foro nec in consultorum atrio, sed in Pythagorae tacito illo sanctoque secessu didicerunt iura, quae florenti tunc Siciliae et per Italiam Graeciae ponerent. Hactenus Posidonio assentior: artes quidem a philosophia inventas, quibus in quotidiano usu vita utitur, non concesserim, nec illam fabricae assertam gloriam. Illa, inquit, sparsos et casulis tectos, aut aliqua rupe suffossa aut exesae arboris trunco, docuit tecta moliri. — In illo quoque dissentio a Posidonio, quod ferramenta fabrilia excogitata a sapientibus viris iudicat* etc. Haec igitur sapiens Stoicus, quem apparet in eo a Platonis sententia nonnihil recessisse, quod quum hic perfectum suum sapientem tanquam perfecti regis imaginem proposuerit, qualis ea demum lege vivere et imperare queat, qua olim Saturnii regni

beatitas extitisse narretur, ipse sapientiae origines ad primum mortalium genus referri voluit, quippe qui sapientium paruerint imperio. Nimirum Plato in ea fuit opinione, ut si vera essent, quae in fabulis de aureo saeculo narrarentur, etiam similem civitatum statum et conditionem aliquando locum fuisse habiturum iudicaret, qualem quidem rerum statum in hac mortalium vita nusquam reperiri vidit, divino tantum beneficio aliquando obtingere posse finxit. Quapropter libro Reipubl. VIII. p. 546. ed. Steph. interitum optimae civitatis fatali quadam necessitate adduci vult, qua ita fiat, ut exactis certis quibusdam temporum orbibus ei ruina immineat. Etenim Musas induxit magnifice futuram eius ruinam vaticinantes, quandoquidem quidquid ortum sit, id non possit perpetuo permanere; eventurum autem aliquando esse, ut custodum, hoc est sapientium, qui res civitatis curent, peior existat progenies ideoque optimae civitatis interitus acceleretur. Haec omnia vero quoniam magis in mentis divinatione quadam et coniectura quam in scientia et cognitione posita sunt, more suo tractavit fabulose, ne temere mentis humanae terminos egressus plus iusto sibi arrogavisse videretur. Sed haec satis sunto de re a multis non satis perspecta et tamen ex loco Politici facile diiudicanda atque aestimanda.

Transimus ad aliud quid, quod ad fabulae, de qua agimus, vim ac significationem declarandam et ipsum plurimum conducere videtur. Quaesivisse enim iuvabit, num cum Platonis doctrina conveniat, quod Deus dicitur aevo Saturnio quidem mundi tenuisse gubernacula, sed eo fatorum necessitate finito illa tractare desiisse et in speculam discessisse suam, cursum eius fortunamque tanquam e longinquo observaturus. Et Meinersius quidem in *Historia Artium et Litterar. Graec.* T. II. p. 727. atque Socherus *De Scriptis Platon.* p. 275. in ea re offenderunt vehementissime, quorum alter miratur Platonem in eam opinionem unquam devenire potuisse, ut Deum interdum curam suam a rerum universitate amovere statuerit; alter id eiusmodi esse censet, unde Politicum Platonis nomen mentiri non verisimiliter coniicias, sed certo concludas et intelligas*). Quocirca res utique digna est diligentiore examine.

---

*) Digna sunt verba Socheri, quae hic adscribantur: „*Nicht nur*

Certum est autem atque exploratum, Platonem statuisse res huius universi pariter atque res hominum omnes ita a Deo curari, ut eius providentia nullo unquam tempore cesset aut desinat. Id quod unumquemque vel ea docere poterunt quae leguntur Legg. X. 900. C sqq. 904. E sqq. Phileb. p. 30. C. Phaedon. p. 62. B., quibus locis ita de divina rerum terrestrium et humanarum procuratione disputatur, ut deos vel potius Deum ostendatur minimarum atque maximarum rerum curam gerere. Quid igitur? num tandem credibile est Deum a Platone ita removeri a mundi gubernatione, ut subinde curam eius omnino nullam habere existimandus sit? Enimvero hoc si ita in Politico factum esset a philosopho, nos quidem fatemur facile Sochero esse assensuros, qui miratus huius sententiae insolentiam et indignitatem protenus totum librum Platoni creptum ivit. At enim vero nostra quidem sententia tantum abest ut Plato in hoc opere providentiam divinam sustulerit, ut eam perpetuam ac sempiternam esse arbitratus sit. Nam Deus eius iudicio subinde recedit quidem a rerum gubernaculo, sed recedit non ut incuriosus mundi sua utentis libertate spectator, sed ut observator eius diligentissimus, qui eum in maximo versantem interitus periculo praesentissimo auxilio suo tuetur atque salvum et incolumem praestat. Quod quid aliud est nisi argumentum perpetuae eius curae longe certissimum? Etenim pie philosophus sibi persuaserat, ad universi huius salutem perpetuam Dei curam nullo unquam tempore non requiri. At vero, inquit aliquis, nonne huic ipsi sententiae gravissime adversatur illud, quod mundum fecit interdum per se euntem ac divina gubernatione plane carentem? Quae dubitatio facillime auferetur, ubi quid philosophus hac imagine significaverit, diligentius indagatum fuerit.

Deseri igitur a Deo dicitur mundus, quum animus ei inditus,

---

fast unglaublich ist es, dass der Platon, der das von Gott und Weltregierung schrieb, was wir im Phaedon, in der Politia, im Timaeus, in den Gesetzen lesen, auch das, was im Politicus steht, geschrieben habe. Fast unglaublich, guter alter Meiners, sagst du? Warum ziehst du nicht den allernatürlichsten Schluss daraus: also hat es Platon gar nicht geschrieben? — Das Räsonnement, durch welches der Mythus hier in die Philosophie eingeführt wird, diess ist nicht platonisch.

immemor divinae institutionis, prae nativa imbecillitate sua a rationis praeceptis atque legibus deflectit, et prorumpens corporis vis eius tanquam imperio potitur. Quod certe non magis impedit ne providentiam divinam saluti eius consulere existimemus, quam quod homines quoque pravis opinionibus aut vitiis indulgentes interdum a Deo deseri iudicantur ideoque miserrimam agere vitam. An quis haerebit in istis Legg. IV. p. 716. A. B. *ὁ δέ τις ἐξαρθεὶς ὑπὸ μεγαλαυχίας ἢ χρήμασιν ἐπαιρόμενος ἢ τιμαῖς ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ ἅμα νεότητι καὶ ἀνοίᾳ φλέγεται τὴν ψυχὴν μεθ' ὕβρεως, ὡς οὔτ' ἄρχοντος οὔτε τινὸς ἡγεμόνος δεόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἱκανὸς ὢν ἡγεῖσθαι, καταλείπεται ἔρημος θεοῦ, καταλειφθεὶς δὲ καὶ ἔτι ἄλλους προσλαβὼν σκιρτᾷ ταράττων πάνθ' ἅμα, καὶ πολλοῖς τισὶν ἔδοξεν εἶναί τις, μετὰ δὲ χρόνον οὐ πολὺν ὑποσχὼν τιμωρίαν οὐ μεμπτὴν τῇ δίκῃ ἑαυτόν τε καὶ οἶκον καὶ πόλιν ἅρδην ἀνάστατον ἐποίησεν.* Nimirum sicuti singulis hominibus ea tributa est sentiendi agendique libertas, ut non modo honesta sequi sed etiam prava appetere possint, ita etiam totum hoc rerum universitatis animal, quia animum habet ex divinioribus et terrenis partibus conflatum, ea utitur libertate, ut quantumvis imperio divino subiectum sit, tamen semet ipsum moveat atque vitam degat humanae vitae certe non absimilem. Apparet igitur, opinor, ex his omnibus certissime, nihil in his inesse, quod a Platonis ratione vel tantillum abhorreat aut cum ea pugnet: imo omnia amicissime consentiunt cum iis, quae philosophus in aliis libris de mundi gubernatione ac divina providentia exposuit.

Atque his expositis sequitur, ut de singulis fabulae partibus dispiciendum sit. Quod quidem ita facere consultum duximus, ut simul de fontibus quaeramus, unde Plato fabulae elementa depromserit. Qua re simul efficiemus hoc, ut quid improprie, quid proprie intelligendum sit, facilius perspiciatur. Videmur autem non iniuria statuere, coniunxisse Platonem vulgares Graecorum fabulas et antiquas narrationes de priscis rerum omnium mutationibus, fortasse ab Aegyptiis acceptas, cum iis de rerum natura opinionibus, quas ipse ex Pythagoreorum hauserat sapientia et tanquam adhibito quodam temperamento cum sua ipsius sententia quam aptissime conciliaverat. Quod

ut certius appareat, age potiores certe totius narrationis partes singulatim excutiamus.

Et illud quidem apertum putamus, totius fabulae tanquam involucrum sumtum esse a pervulgata illa de variis mundi aetatibus narratione deque iactura priscae beatitatis, quae olim saeculo aureo, quod vocatur, viguisse credebatur. Quam quidem narrationem quum poetae variis modis exornassent, etiam Plato ita eam tractavit, ut totam suo scribendi consilio attemperaverit. Nam quum verbis cum illis consentiat, tamen re ipsa longe alia tradidit atque omnia scite ad philosophiae dogmata retulit. Narrat igitur utique de Saturni et Iovis imperio*): sed tantum abest, ut mundi gubernationem hisce diis popularibus commiserit, ut cogitaverit de summo Deo, quem ipse credidit huius rerum universitatis esse rectorem atque moderatorem. Qui si quaeris qualis sit, certe non est alius nisi *νοῦς* ille *βασιλεύς*, sive mens divina ac summa ratio, de quo inter alia Phileb. p. 28. C. scribit: *πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν οἱ σοφοί, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς.* Hunc igitur vulgaribus illis deorum nominibus significavit, idque fecit profecto arte prorsus admirabili**). Nam quum mundi totius exemplo docere sibi proposuerit, variam esse atque diversam humanarum civitatum fortunam, prouti in iis imperium rationis aut valeat integre aut debilitatum contemtumve sit, prudentissime eam universi aetatem, qua vis cupiditatum ingruit ac mundus, utpote sibimet ipsi permissus, in dies magis a divinis institutis recedit, Iovi attribuit; alteram autem meliorem, qua omnia summae rationi paruerunt, assignavit Saturno. Quocirca alterum rationis per omnia vigen-

*) Quod duas tantum distinxit aetates, Saturni et Iovis, de eo v. VOELCKER *Mythologie des Japetischen Geschlechtes* p. 257 sq. coll. BUTTMANN. in Commentatt. Academ. Scient. Berolin. a. 1814—1815. p. 257 sqq. FR. SCHLEGEL. *Ueber die Hesiodeischen Weltalter* Opp. III. p. 208 sqq. I. H. VOSS. ad Virgil. Eclog. IV. 45. VI. 41. qui varias poetarum narrationes uberius sunt persequuti.

**) Plato enim quum dei nomina variis rebus tribuerit, neque deos populares tollere ausus sit, tamen summum aeternumque Deum unicum voluit esse. Qua in re ipsi exemplum inprimis praeivit Socrates, de quo v. XENOPH. Mem. I. 4, 17. IV. 3, 13. Etiam Antistenes teste CICER. N. D. I. 3. MINUT. FEL. c. 19. LACTANT. Inst. I. 1. *Deum naturalem unum, populares multos esse* dixit.

tis dominantisque, alterum eiusdem per ingruentem corporeae lubidinis vim et potentiam repressae ac debilitatae imaginem esse voluit; quod quum primo aspectu cum opinionibus Graecorum convenire videatur, qui Iovis aetatem Saturnia multo deteriorem fuisse credebant, tamen re accuratius pensitata longissime ab iis discrepare neminem fugiet. Atque par fere eorum ratio est, quae philosophus de daemonibus Saturni in gubernanda rerum universitate administris narravit. Nam hic quoque quum vulgares de daemonibus opiniones retinere ac tueri videatur; quas quum alibi tum in Apolog. Socr. p. 27. C sqq. tetigit*), tamen, ubi rem accuratius consideraveris, illas facile largieris sententiae ipsius de divina ratione omnes mundi partes permeante exornandae declarandaeque inservire. Nam genii illi, quos singulis mundi partibus atque animantibus tanquam curatores quosdam praefecit, non sunt, ut Apuleii utar verbis**), divinae illae mediae potestates inter summum aethera et infimas terras in isto intersitae aeris spatio, per quas et desideria nostra et merita ad deos commeant, aut inter terricolas coelicolasque vectores hinc precum, inde donorum, atque utrorumque voluntatis interpretes, quos Graeci nomine *δαίμονος* appellabant; sed potius radii quasi quidam mentis divinae per totam rerum universitatem diffusi atque omnia divinitatis luce collustrantes. Itaque *δαίμονας* philosophus voluit ibi esse, ubi mens vigeret atque ratio divinae originis suae sibi conscia et ad vitam diviniorem tendens atque perducens. Quod quidem neutiquam ab eius mente et sententia abhorrere liquido testatur locus Timaei p. 90. A. *τὸ δὲ δὴ περὶ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε, τοῦτο ὃ δὴ φαμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ' ἀκρῷ τῷ σώματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρειν ὡς ὄντας φυτὸν οὐκ ἔγγειον ἀλλ' οὐράνιον, ὀρθότατα λέγοντες.* Ibi enim apertum est *τὸν νοῦν* tanquam daemonem aliquem dici unicuique homini additum esse; quam sententiam constat postea temporis

*) De daemonologia Graecorum v. CREUZER Symb. et Mythol. III. 4 sqq. p. 511 sqq. et Virum doctum in ZIMMERMANNI Diariis Scholasticis a. 1833. P. II. N I. sqq. inprimisque N. III. p. 20 sqq.

**) De deo Socrat. p. 45 sq.

etiam Stoicis placuisse*). Testatur item locus Cratyli p. 397. D sqq., ubi *δαίμονες* dicti iudicantur a *δαῆναι*, *sapientem esse*, quasi *δαήμονες* quidam, quandoquidem, quum alii a virtute ac sapientia defecerint, hi soli permanserint boni ac sapientes. Quae vocabuli originatio etsi lusu quodam ficta videtur, tamen quales daemones populares secundum Platonem existimandi sint, unumquemque edocere potest. Quod igitur philosophus rerum universitatis gubernationem scribit aetate Saturnia inter summum Deum atque daemones fuisse distributam, id etsi cum popularibus opinionibus planissime videtur concordare, tamen magnopere cavendum est, ne ex litterarum scriptione interpretemur. Nam sicuti nominibus Saturni et Iovis longe aliud quid significatur, quam vulgaris loquendi usus ferebat, ita etiam daemones non proprie intelliguntur, sed dicuntur pro mentis divinae tanquam potestatibus, quibus omnia atque singula obtemperaverint. Quocirca nostra quidem sententia Plato hoc indicavit, mundum olim ideo fuisse beatiorem, quia non modo summi Dei imperio paruerit, verum etiam divinae mentis rationisque vis et auctoritas per omnes eius partes ita viguerit, ut innatae ipsi vis materiae nihil quidquam perturbaverit.

Quemadmodum autem philosophus fabulas illas de aurea et argentea aetate arte prorsus singulari toti narrationi suae tanquam fundamenti loco subiecit; ita etiam potiores illius partes, in quibus novi quiddam intulit et cum vulgari de mundi aetatibus opinione commiscuit, ne illae verisimilitudinis specie ex veteribus traditionibus petita penitus carerent, similiter illustrandas vel exornandas iudicavit. Nihil autem in tota narratione, si ab aureae et ferreae aetatis commemoratione discesseris, gravius est et in quo magis tanquam in cardine aliquo reliqua omnia versentur, quam quod utrique mundi aetati diversum rerum universitatis motum diversamque animantium generationem, ortum

*) Ab hoc Timaei loco profectus PLOTINUS Enn. III. 4, 5. sqq. daemonem singulis hominibus comitem additum apud Platonem significare censuit perfectum vitae ac virtutis exemplar, ad quod, qui illud intueantur, perpetuo contendant et enitantur. Quod probatur unice STEINHARTO Meletem. Plotin. p. 20., nobis improbatur, siquidem Plotinus pro more suo hic quoque cum Platonis doctrina suas opiniones permiscuit.

et vitam attribuit, atque universum eius corpus inde ab eo tempore, quo illud, quippe a divina ratione abalienatum, suo impetu agitatum sit, contrario atque antea motu cieri coepisse arbitratus est.

Itaque haec ne mero arbitrio videretur posuisse, ad partes vocavit celeberrimas illas narrationes de sideribus propter sceleris ab Atreo admissi atrocitatem retro relapsis ac de terrigenis, qui pristinis olim temporibus vixisse credebantur. Quas narrationes dum aptissime cum principali fabula contexuit, profecto effecit hoc, ut omnia priscae aetatis fide et auctoritate communiri videantur. Nec vero quam sollerter illas ad rem praesentem retulerit, cuiquam obscurum erit. Nam illud quidem, quod sidera propter immanitatem Atrei retro cucurrisse narrabantur, egregie sane convenit cum ea sententia, qua sequutus, sicuti postmodo videbimus, Pythagoreos duplicem mundi motum statuit. Hoc autem aptissimum est ad illustrandum illum rerum statum, in quo homines pariter atque ceterae animantes adeo cum rerum natura divinae mentis et rationis vi repleta coniuncti vixisse dicuntur, ut cum illa unum idemque essent necdum tanquam pars aliqua totius naturae, coeco sui amore capti, sibi unice vivere incepissent. Etenim tunc quidem nondum soluto vinculo illo, quo res terrenae cum divinis continebantur, nec homines suum atque proprium ortum habuerunt, sed vita eorum cum vita totius naturae fuit coniunctissima. Haec igitur satis, opinor, docebunt, quam eleganter philosophus his fabulis ad illustrandas ornandasque principales quasdam sui commenti partes usus sit. Ceterum ne reliquis omnibus antiquitatis commendatio deesset, prudenter communivit universe, multas alias superesse priscae aetatis traditiones, quae ex eo, quem descripturus sit, rerum universitatis statu suam explicationem habeant. Qua quidem admonitione effecit, ut ne alia quidem, quae exposuit, antiquorum temporum testimonio carere videantur. Ac fortasse etiam significare aliquo modo voluit se nec in reliquis temere meris fictionibus indulsisse.

Atque haec quidem de mythologiae involucris, quibus usus philosophus eam fabulam concinnavit, quae priscorum temporum fide et auctoritate confirmari videretur. Veniamus ad eorum considerationem, quae ex philosophiae penetralibus sunt repetita,

deque eorum caussis et rationibus disquiramus. Facile autem apparet pleraque omnia, quae exponuntur, eiusmodi esse, ut non ad dialecticam, sed ad physicam, sive ad philosophiam naturae, quam hodie vocant, pertinere existimanda sint. In qua doctrinae suae parte Platonem constat maxime Pythagoreos duces sequutum esse, sicuti ex Timaeo clarum est atque perspicuum. Iam vero etsi naturalium rerum notitiam in magno habuit honore, tamen multum fallatur, si quis existimet tanti illam ab eo aestimatam esse, quanti eas philosophiae partes fecit, quae non experientia et usu rerum, sed sola mentis cognitione continentur. Imo tanto intervallo hanc ab illis distare iudicavit, quanto verisimilitudinem ab ipsa veritate, opinionem a scientia nomine suo digna. Certissimum huius rei testimonium in Timaeo habemus. Hic enim Timaeum fecit aperte profitentem, se non veritatis sed potius verisimilitudinis doctrinam traditurum esse. Nam p. 29. A. seqq. ille dicit haec: *ὧδε οὖν περί τε εἰκόνος (de mundo generato) καὶ περὶ τοῦ παραδείγματος αὐτῆς, (de exemplari eius intelligibili) διοριστέον, ὡς ἄρα τοὺς λόγους, ὥνπερ εἰσὶν ἐξηγηταί, τούτων αὐτῶν καὶ ξυγγενεῖς ὄντας. τοῦ μὲν οὖν μονίμου καὶ βεβαίου καὶ μετὰ νοῦ καταφανοῦς μονίμους καὶ ἀμεταπτώτους καὶ καθ' ὅσον οἷόν τε ἀνελέγκτους προσήκει λόγους εἶναι καὶ ἀκινήτους, τούτου δὲ μηδὲν ἐλλείπειν ,τοὺς δὲ τοῦ πρὸς μὲν ἐκεῖνο ἀπεικασθέντος, ὄντος δὲ εἰκόνος, εἰκότας ἀνὰ λόγον τε ἐκείνων ὄντας· ὅ τί περ πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίστιν ἀλήθεια.* et p. 44. C. *τὰ δὲ πρὸ τούτων, περὶ σωμάτων κατὰ μέρη τῆς γενέσεως καὶ περὶ ψυχῆς, δι' ἃς τε αἰτίας καὶ προνοίας γέγονε θεῶν, τοῦ μάλιστα εἰκότος ἀντεχομένοις, οὕτω καὶ κατὰ ταῦτα πορευομένοις διεξιτέον.* v. quae diximus Prolegg. ad Tim. p. 35 sqq.*). Quae si tenemus, etiam in iis iudicandis

*) Itaque falluntur sane, qui quae Plato in Timaeo de originibus mundi aliisque id genus rebus exposuit, ad merae allegoriae speciem referunt, quod nuper fecit Ed. Zellerus: *Platonische Studien* p. 208 sqq.; sumsit enim philosophus atque posuit propter suas quasdam rationes quae verisimilia essent; sed non minus errare existimandi sunt, qui quae ibi traduntur, ab eo putant pro certis et exploratis posita esse neque reputant caussas, cur ea fabularum involucris potius quam argumentationibus dialecticis ostensa sint.

versabimur prudentius, quae hoc Politici loco de iisdem rebus similiter traduntur. Neutiquam enim philosophus putandus est haec omnia pro veris atque certis venditasse; imo ea ut verisimilia tantum, non ut certa, proposuit eamque ob caussam fabulosae narrationis specie obtexit, atque adeo, suis aliorumque philosophorum usus decretis et opinionibus, liberius immutavit atque exornavit. Sed his universe praemissis videamus de singulis.

Primarium autem placitum, unde reliqua fere omnia suspenduntur, illud putamus, quod mundum voluit anima atque mente praeditum esse, ut propria quadam atque sua vivendi libertate utatur, ideoque sese arbitrio suo movere queat. Quod quidem nemo erit quin protenus videat planissime congruere cum iis, quae loco nobilissimo Timaei p. 29. D. de eadem re disputantur. Ibi enim Deus, quippe intelligens nullam rem mente destitutam assequi virtutem eorum, quae mente praedita sint, mentem vero sine anima esse posse nullam, etiam corpori mundano animam cum mente tribuit, eoque modo opus mundi fabricae longe praestantissimum absolvit. Quippe accepit philosophus hanc de anima mundi opinionem a superioris aetatis philosophis, imprimis Pythagoreis, quorum sententiam tamen nonnihil immutavit et ad suae doctrinae rationem conformavit, sicuti demonstrasse videmur Prolegg. ad Tim. p. 48 sqq. Eádem igitur etiam in Politico usus est ad illustrandum varium mundi statum et conditionem, qualem pro aetatum vicissitudine fuisse vel futurum esse arbitratus est. Sed praeterquam quod mundum instruxit anima atque mente, eidem etiam attribuit hoc, ut divinorum praeceptorum meminisse et rectum cursum aliquamdiu tenere possit, usque dum vi innatae cupidinis prorumpente nimio sui amore captus institutionis divinae prorsus immemor fiat et indulgentia sui corporeae materiae vitia alat potius quam coerceat et expellat. Quae etsi prima specie habere videntur quaedam singularia, tamen re diligentius considerata haudquaquam pugnare existimanda sunt cum iis, quae de mundi anima et natura in aliis Platonis libris docentur. Nam etiam in Timaeo p. 37. A. sqq. animae mundi, h. e. ipsi mundo tanquam animali cuidam, hoc proprium esse dicitur, ut ita tantum

rectas opiniones vel etiam rationem et scientiam suscipiat, si partes animae omnes libere moveantur neque ullo modo perturbentur. Quid igitur, si contra eveniat? Enimvero a Deo quidem mundus bona omnia accepit. Sed quum universum ex materia esset componendum, necessitatis vis effecit, ut ipsi naturae corporeae labes atque infirmitas adhaereret, in quo secundum Platonem malorum fons est longe uberrimus. Hinc igitur fit, ut sicuti homo, ita etiam mundus possit a rationis legibus aberrare ac discedere: nam materiae vires perpetuo reluctantur huius imperio; sed eaedem illae *μονωθεῖσαι φρονήσεως τὸ τυχὸν ἄτακτον ἑκάστοτε ἐξεργάζονται*. Ita igitur haec quoque satis perspicua sunt, facileque apparet, ex quibus ea ducta sint fontibus. Nam omnia referunt maximam cum iis similitudinem, quae exposita in Timaeo leguntur. Iam vero nec ea, quae de duplici mundi motu traduntur, obscura videntur esse. Fieri quidem potest, ut philosophus in hac sententia exponenda vulgarem traditionem sacerdotum Aegyptiorum ob oculos habuerit. Narrat enim Herodotus libr. II. c. 142. p. 178. ed. Wesseling. ab istis de priscis mundi temporibus non pauca similia posteritatis memoriae tradita fuisse. Inter alia ille etiam haec scribit: „Quocirca intra undecies mille trecentos et quadraginta annos narrabant deum nullum forma ac specie humana extitisse: intra illud vero temporis spatium dicebant solem quater extra solitam sedem suam ortum esse, et ubi nunc occidit, ibi bis occidisse? Haec igitur atque alia similia fieri sane potest, ut Plato in hac sua narratione respexerit*). At enim vero ut id sic se habeat, tamen haec quoque planissime ipsius cum ratione conveniunt, qualem ad Pythagoreorum exemplum in Timaeo exposuit. Nam in Timaeo p. 35. A. sqq. ex eo, quod animae mundanae duplex tribuitur elementum, alterum corporibus simile, *τὸ θάτερον*, alterum *τὸ ταὐτόν*, quod divinitati est cognatum, etiam duplex coeli motus declaratur, siquidem orbi fixarum stellarum sive coelo extimo tanquam diviniori *ἡ φορὰ τῆς τοῦ ταὐτοῦ φύσεως* tribuitur, hoc est, motus sempiternus, aequabilis, constans, qui orientem versus cietur; planetis autem atque soli assignatur

*) V. Plessingii Memnon. Cap. II. P. III. Sect. 2. et Part. IV. Sect. 3. §. 2. p. 293 sqq.

ἡ φορὰ τῆς θατέρου φύσεως, quae alteri illi contraria est atque minoris perfectionis virtutisque argumentum. Quae et ipsa partim ex Pythagoreorum doctrina repetita esse non iniuria nobis videmur statuisse in iis, quae huius loci illustrandi gratia scripsimus in commentariis nostris p. 147 sqq. Quid igitur? nonne quae ibi de duplici siderum et planetarum cursu traduntur, plane hic traducta sunt ad duplicem mundi aetatem, ita quidem, ut quae coelo extimo attribuitur conversio, ea Saturnio aevo tanquam divino adscribatur, quae autem reliquis corporibus mundanis illic propria dicitur esse, ea ferreae aetati vindicetur? Enimvero magnopere fallor, aut observatio illa discriminis inter motum coeli extimi et reliquorum siderum cursum huic commento tanquam ansam praebuisse existimanda est.

Pergimus ad considerandas caussas, cur beata illa tempora, quibus omnia divino imperio paruerunt, aliquando cessavisse dicantur. Repetuntur vero illae a fati quadam necessitate, quo ita destinatum fuerit, ut omnia certo quodam temporum orbe exacto in deteriorem statum laberentur. Qua de re lectu digna sunt quae hospes Eleaticus p. 272. D. E. disputat: *ἐπειδὴ γὰρ πάντων τούτων χρόνος ἐτελεύθη καὶ μεταβολὴν ἔδει γιγνεσθαι καὶ δὴ καὶ τὸ γήϊνον ἤδη πᾶν ἀνήλωτο γένος, πάσας ἑκάστης τῆς ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκυίας, ὅσα ἦν ἑκάστῃ προσταχθέντα, τοσαῦτα εἰς γῆν σπέρματα πεσούσης, τότε δὴ τοῦ παντὸς ὁ μὲν κυβερνήτης — εἰς τὴν αὐτοῦ περιωπὴν ἀπέστη, τὸν δὲ δὴ κόσμον πάλιν ἀνέστρεφεν εἱμαρμένη τε καὶ ξύμφυτος ἐπιθυμία*; ubi illud ἔδει nihil aliud est quam: *erat in fatis*. Sed qua tandem re illam fatorum necessitatem adductam esse putabimus? Nimirum, ego si quid video, hic quoque philosophus significat, propter terrenae materiae concretionem factum esse, ut aliquando omnia in peius verterent, id autem inexplicabili quadam ratione ita evenisse. Etenim *ὃν οὐρανὸν καὶ κόσμον ἐπωνομάκαμεν, πολλῶν μὲν καὶ μακαρίων παρὰ τοῦ γεννήσαντος μετείληφεν, ἀτὰρ οὖν δὴ κεκοινώνηκέ γε καὶ σώματος· ὅθεν αὐτῷ μεταβολῆς ἀμοίρῳ γίγνεσθαι διὰ παντὸς ἀδύνατον*, ut ait Eleates p. 269. E. Itaque corporeae materiae vi aliquando ingruente, quum omnia a divina ratione averterentur, factum esse censet, ut alia temporum periodus initium caperet. Tunc igitur etiam

omne genus terrenum consumtum erat: hoc est, non amplius nascebantur homines a sui amore alieni et cum divino rerum universitatis ordine tanquam natura sua concreti, quandoquidem unaquaeque anima omnes persolverat generationes tanquam debitum aliquod, ut iam tandem necesse esset, alios nasci homines, alia generari animalia*). Quocirca nati sunt mox qui suarum rerum studiis unice dediti essent, suas cupiditates explerent, denique suas sibi res haberent, evanuitque prorsus beata illa aetas, qua omnia tanquam communi divinitatis vinculo continebantur. Nolumus quaerere quo iure Plato ita de caussis mutatorum temporum statuerit; illud autem pro instituti nostri ratione videndum est, num haec cum iis concordent, quae alibi de similibus rebus disseruit. Atque hoc iure quodam nostro affirmare nobis videmur. Nam quae in libris de Republica de caussis interitus optimae civitatis et in Phaedro de animorum lapsu exponuntur, ea profecto his adeo sunt similia, ut facile appareat, eundem hominem, qui ista scripserit, etiam quae in Politico leguntur, scribere potuisse. Videamus igitur, quid sit quod de optimae civitatis ruina doceatur. Pertinet huc notissimus ille locus Reipubl. libri VIII. p. 546. A, sqq., quem iam antea in simili caussa attigimus. Ibi igitur fatali quadam lege aliquando ita eventurum docetur, ut exacto certo quodam numero annorum peior parentibus progenies oriatur atque civitatis principes in iuvenibus et puellis ad procreandam sobolem deligendis delinquant. Quocirca Musae introducuntur sic vaticinantes: *οὐ μόνον φυτοῖς ἐγγείοις, ἀλλὰ καὶ ἐν ἐπιγείοις ζώοις φορὰ καὶ ἀφορία ψυχῆς τε καὶ σωμάτων γίγνονται, ὅταν περιτροπαὶ ἑκάστοις κύκλων περιφορὰς ξυνάπτωσι, βραχυβίοις μὲν βραχυπόρους, ἐναντίοις δὲ ἐναντίας. γένους δὲ ὑμετέρου εὐγονίας τε καὶ ἀφορίας, καίπερ ὄντες σοφοί, οὓς ἡγεμόνας πόλεως ἐπαιδεύσασθε, οὐδὲν μᾶλλον λογισμῷ μετ' αἰσθήσεως τεύξονται, ἀλλὰ πάρεισιν αὐτοὺς καὶ γεννήσουσι παῖδάς ποτε, οὐ δέον.* Quid igitur? nonne ibi optimae civitatis cives pariter dicuntur vitiosa natura degenera-

*) Sic enim locus ille p. 272. E. intelligendus est. Conf. Phaedr. p. 247. C. — 250. B. Tim. p. 43. A., ex quibus locis sententia Platonis suam lucem accipit. De verbis eorumque constructione hic dicere non attinet.

visse, atque id factum in Politico est, ubi aureae aetatis homines iudicantur ideo esse desiisse, quia tota rerum natura ad vitiositatem vel potius ad deteriorem statum et conditionem inclinaverit? Haec igitur adeo inter sese consentiunt, ut nihil magis possit. Non minus vero huc pertinent quae in Phaedro de animis e coelesti vita lapsis disseruntur. Nam quod animi hominum p. 247. C. sqq. dicuntur, quum omnes a Deo boni et perfecti essent creati, tamen propter naturae quandam labem et infirmitatem a rerum divinarum contemplatione extitisse alieniores ideoque e beatorum deorum atque daemonum choro in terram detrusi et mortali hoc corpore tanquam carcere inclusi esse; id profecto non aliis nititur caussis atque rationibus, quam quibus firmatur illud, quod in Politico docetur, aureae aetatis finem et exitum ipsius naturae ad corporis vitiositatem proclivioris necessitate esse adductum. Quocirca hic quoque omnia videmus ita esse comparata, ut cum Platonis de talibus rebus opinionibus in aliis operibus explicatis non modo non pugnent sed pulcerrime consentiant.

Sequitur, ut ad utriusque aetatis descriptionem examinandam accedendum sit. Et hanc quidem dubium non est quin philosophus quam sollertissime ad similitudinem eorum composuerit, quae a poëtis inprimisque ab Hesiodo erant tradita et exposita. Verum quantumvis omnia coloris poëtici referant speciem, tamen re accuratius considerata videbuntur ad ipsius sententiam illustrandam esse accommodatissima. Distinguit Plato, ut antea vidimus, duas mundi aetates. Harum alteram voluit esse divinam, quippe qua omnia perfectissime obedierint voluntati divinae, nec quidquam ab ea ita abhorruerit, ut per se solum esset aut ab universi natura, plena illa tunc divino numine, seiunctum ac separatum. Quocirca tunc omnia uno divinitatis vinculo quam arctissime continebantur, necdum terrestria a divinis erant divulsa aut abalienata, quippe vi corporis nondum grassante petulantius sed rationis imperio perpetuo subiecta. Itaque nec inter homines tunc ullus erat amor sui, quo a rerum natura divinoque imperio aversi sibi solis viverent, suis rebus studerent, suis denique cupiditatibus fovendis alendisque ad pravitatem deducerentur. Summa autem regnabat vitae felicitas, quum nullae cupiditates ac lubidines ex corporum necessitatibus oriundae beatum illum vitae humanae ac divinae concentum turbarent.

Unde nec civitatibus fuit opus. Hanc igitur aetatem philosophus descripsit iis usus imaginibus, quas magnam certe partem iam a poëtis adhibitas videret. Huc pertinent quae de regno Saturni ceterorumque deorum eius imperio subditorum narrantur; huc spectant item quae de felicitate illius aetatis explicata legimus, qua ita factum esse dicitur, ut ipsa natura, quippe voluntati divinae morigera, ultro ac sua sponte praebuerit quae ad vitam sustentandam ornandamque necessaria essent; huc denique referuntur quae de mutua animantium generatione tunc quidem nondum usitata disseruntur; nam quum omnia cum universa rerum natura copulata essent arctissime nihilque reperiretur quod ab ea seiunctum separatumque sibi soli viveret aut sibi uni indulgeret, consequens sane fuit, ut nec genera animalium per se vigerent et ab natura rerum communi segregata, sed ex divinarum corporearumque rerum consensione vi divina sese exserente sponte orirentur. Atque haec quidem omnia iam nemini obscurum erit quomodo intelligenda sint et quam eleganti sollertia ad ea significanda adhibeantur, quae philosophus de priscae illius aetatis conditione sensit. Ab hac autem periodo distinguitur ac seiungitur altera, qua fatali quadam necessitate dicitur ita factum esse, ut novus rerum omnium ordo oriretur. Quae qualis depingatur, ex superioribus perspicuum esse debet. Nam discidium quasi quoddam naturae tunc factum esse iudicatur, siquidem vis materiae invalescere ac se in libertatem quasi quandam imperio divino immunem atque vacuam vindicare occoepit. Etenim summus Deus, ut est in fabula, a mundi gubernaculis recesserat; discesserant item dii inferiores a suis quisque stationibus; denique mundus suo ferebatur impulsu atque impetu, sed ferebatur sic, ut materiae vi ingravescente statim ab initio contrario atque antea motu agitaretur et in dies magis institutionis rationisque divinae immemor existeret. Nam anima mundo indita Deo ipso absente non tantum valebat, ut feras et exsultantes materiae vires in omne tempus perdomaret, quandoquidem ipsa quoque, quia est dividua, corporum naturae cognata est. Iam vero facto isto rerum divinarum atque corporearum divortio inter animantes etiam ingruit ista quasi abalienatio a rerum naturae divinitate repletae communione. Nam unumquodque genus animantium per se seorsum vigere coepit;

sua potius cupiditate, quam totius naturae studio et amore communi impelli maluit; ad suum arbitrium constituit agere; denique sane indulsit lubidini, ut vis rationis pedetentim magis evanesceret. Quocirca etiam homines tunc non communem habuerunt parentem, naturam, sed ex se mutuo generati sunt. Et quum olim summa securitate et tranquillitate usi essent regni Saturnii cives, tunc ita evenit, ut singulari deorum procuratione destituti multos labores et calamitates experirentur. Quae omnia quum facile iam perspiciatur qua ratione intelligenda sint, copiosiore eorum interpretatione haudquaquam opus esse existimamus. Sed illud non supervacaneum erit observasse, quaenam initia et primordia civitatum fuisse philosophus arbitretur. Retulit igitur ea ad hominum indigentiam vitaeque communis utilitatem. Quocirca aureo quidem saeculo censet civitates extitisse nullas, quia homines nulla inopia laboraverint; nam ubi Deus exercet imperium, ibi una regnat perfecta aeternaque ratio, quae sola est felicis vitae caussa ac tutela; sed condi coeptas eas iudicat ex quo homines fatali quadam naturae lege, divina custodia destituti, suo more suoque arbitrio vivere coeperint. Tum vero, inquit Eleates, multa mala in eos irruerunt. Nam premebantur artium omnium inopia, propterea quod finita vita priori, qua iis omnia ultro suppeditabantur, res ad vitam sustentandam necessarias sibi comparare nondum didicerant. Laborabant praeterea discordia, rixis, contentionibus. Infestabantur denique a feris, a quarum impetu se defendere aegre poterant. Itaque dii eorum miseriti istam indigentiam et inopiam levare et avertere decreverunt. Nam ignem iis attulit Prometheus, artes dederunt Vulcanus et Minerva, semina atque plantas alii largiti sunt. Hinc igitur inventa sunt denique quae ad vitam instruendam ornandamque valerent: nam deerat hominibus benigna deorum procuratio ideoque ipsos oportebat vitam moderari ac tutari suam eiusque necessitatibus prospicere, quemadmodum idem etiam universus mundus facere tunc coactus fuit; cuius imitantes exemplum in aeternum modo hac modo illa ratione vivimus, atque nascimur*). Haec igitur Eleates de vita hominum, quae altera mundi periodo extiterit. Quae dici non potest quantopere conve-

*) V. p. 274. B—E.

niant cum iis, quae Protagoras in dialogo cognomini p. 320. C.—322. D. de originibus civitatum disputat. Nam ibi homines item ab initio dicuntur fuisse nudi, inermes, denique eorum omnium expertes, quae ad vitam degendam necessaria sunt, usque dum denique per Prometheum Vulcani et Minervae artem acceperint atque a Mercurio, Iovis nuntio, ius et pudorem adepti sint, ut essent civitatum vincula et ornamenta. Itaque utroque loco philosophus poëticas narrationes, in quibus philosophiae quasi semina quaedam abscondita laterent, ad suam ipsius rationem prodendam exornandamque sapienter adhibuit. Ipse enim sibi persuaserat penitus, civitatum initia non aliunde nisi ab hominum indigentia atque necessitate repetenda esse*) id quod etiam in Politia p. II. p. 369. B., ubi Socrates optimam civitatem condere instituit, his verbis professus est: *γίγνεται τοίνυν πόλις ὡς ἐγῷμαι, ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής· ἢ τίν' οἴει ἀρχὴν ἄλλην πόλιν οἰκίζειν*; professus etiam est Leg. III. p. 678. Quamobrem haec quoque quam solerti artificio sint enarrata, neminem fore putamus quin protenus perspiciat. Superest una narrationis pars, de qua aliquid monendum videatur.

Dicuntur enim initio cuiusque aetatis, ubi corpus mundanum in contrariam atque antea partem agitari coeperit, maximae rerum omnium mutationes evenisse: quae quales sint, antea in totius sermonis enarratione ostendimus. Quarum descriptio dubitari sane potest quomodo intelligenda sit. Non omnia tamen hic premenda esse, ut ex singulis aliquam sententiam eruas, sed pleraque omnia lusui ingenii deberi atque toti fabulae convenienter exornata esse, vix ambigere licebit**). Redeunt autem

*) V. Heusdii Initia Philos. Plat. Vol. III. p. 55. et 135 sq. Platoni adversatur Aristoteles Reipubl. III. 9.; qui non tam necessitatis quam boni et honesti caussa societatem civilem fundatam esse censet. De aliorum sententia dixit Ang. Maius ad Cicer. De Rep. I. c. 35. p. 70. ed Tubing.

**) Pertinent huc illa p. 270. D. E. quo loco perquam lepide rerum conversiones describuntur ex contrariis universi motibus oriundae. Nam ubi agitationis contrariae tempus advenit, ibi dicitur primum cuiusque aetas consistere nec procedere ulterius; deinde etiam reverti ad iuventutem et infantiam, usque dum evanescat. Quocirca cani senum

omnia denique eo, ut in rerum natura ostendatur tum maximas incidere rerum conversiones, quum ipsius mundi rationes commutentur. Putarunt tamen sancti quidam patres ecclesiae, inter quos sunt Eusebius Praeparat. Evang. c. 18. et 33. p. 561. ed. Viger., et Augustinus De Civitate Dei X. c. 18. Platonem eo loco, ubi Saturnia aetate denuo exoriente omnia dicit alia fieri atque homines rursus ex terra prodire, de rerum omnium restitutione atque resurrectione mortuorum cogitavisse in eaque sententia exponenda clam usum esse sapientia Hebraeorum*). Et fatetur utique hospes Eleaticus aliunde se haec didicisse. Sed neutiquam ille Hebraeos significat, sed potius eos maiorum, qui primi post antegressam aetatem nati fuerint**). Nec profecto quemquam fugiet inter Platonis de his rebus sententiam atque ea, quae a sacris scriptoribus de iisdem traduntur, plurimum discriminis intercedere. Etenim philosophus ista adumbravit po-

capilli, ut ait Eleates, rursus nigrescunt; barbae lanugo in genis eorum, qui iam adoleverunt, rursus evanescit, ut ipsi repente imberbes evadant et ad pristinum florem aetatis reducantur; adultorum corpora porro paullatim decrescunt redeuntque in naturam infantium; marcescentia corpora et languentia brevi absumuntur; occisorum cadavera paucis diebus extinguuntur.“ Haec igitur atque alia id genus quis est quin videat rerum naturae quidem convenienter, at tamen lepide et facete ficta esse? Quocirca operam perdiderit, si quis haec omnia ad vivum resecare voluerit ideoque quaerendum existimet, cur capillorum potissimum aut barbae mentio sit iniecta.

*) Eusebius quidem certe c. 18. Hebraeorum sapientes dicit ipsum occupavisse, *αὐτὸν εἶναι προειληφότας*, scilicet probaturus, Graecum philosophum ab illis aliquid discere potuisse. Sed longius processit Augustinus. Nimirum fuit omnino hic mos patrum ecclesiasticorum, ut similitudinem philosophiae Platonicae cum doctrina religionis Christiana, quae videbatur, exinde repeterent, quod Plato in itinere in Aegyptum suscepto vel libros sacros Iudaeorum cognovisset, vel cum doctis Iudaeis esset conversatus. Quam sententiam etiam Iosepho, Aristobulo et Numenio fuisse probatam docebunt quae his de rebus disseruit Ackermannus in libro: *Das Christliche im Plato* p. 4 sq.

**) Nam p. 271. A. *ἀπεμνημονεύετο δὲ ὑπὸ τῶν ἡμετέρων προγόνων τῶν πρώτων οἳ τελευτώσῃ μὲν τῇ προτέρᾳ περιφορᾷ τὸν ἑξῆς χρόνον ἐγειτόνουν, τῆς δὲ κατ' ἀρχὰς ἐφύοντο.* Omnino temere veteres sumunt, quod nullo argumento idoneo probaveris, Platonem, Aristotelem, aliosque doctrinam suam ab Iudaeis accepisse aut ex libris sacris hausisse.

tius ad similitudinem eorum, quae de ortu terrigenarum in fabulis narrabantur: quod autem quandam quasi rerum palingenesiam statuit, ad eam sententiam per ipsius fabulae argumentum et rationem deductus videtur. Quanquam fieri potest, ut hic quoque superiorum philosophorum opiniones quasdam ad rem suam traduxerit.

Atque haec quidem de loci gravissimi atque difficillimi sententia exposuisse sufficiet. Videmur enim iam planum fecisse, quorsum et universa narratio pertineat et singulae eius partes referendae sint: neque amplius dubitabitur, opinor, de via et ratione, qua philosophus in tota fabula componenda et exornanda versatus sit.

CAP. VII.

Disputatur de ultimo atque summo Politici proposito et de singularum libri partium coniunctione.

Sequitur, ut quae de singulis Platonici operis partibus hactenus exposuimus, ea nunc tandem in unum colligamus eoque modo demonstremus, quidnam sit summum illud atque ultimum, quod universo operi propositum esse iudicari oporteat. Quod enim in poetis scenicis merito expectamus, ut fabulae eorum, etiamsi ex variis et multiplicibus partibus sint compositae, tamen in se consentiant et unum quasi corpus efficiant, propterea quod mentis nostrae ea est indoles ac natura, ut quaecunque de quapiam re sentiuntur atque cogitantur, ea, si quidem absolutionis numerum habitura sint, denique in unum coire cupiamus; idem prorsus etiam in dialogis Platonis requiritur, quippe qui iure suo pro perfectissimis artis operibus et olim habita sunt et nunc quoque haberi solent. Quid igitur? quamnam tandem formam ac speciem universi operis dicemus esse, quae menti scriptoris observata sit et ad quam singula atque cuncta retulerit? et quamnam censebimus esse singularum partium convenientiam, ut ista forma ac species eius perfecte exprimatur et tanquam imago quaedam mentis quasi oculis proposita cernatur? Explorabimus, opinor, hoc optime sic, si quaenam sit omnium cogitatorum tanquam summa, ad cuius explicationem et illustrationem omnia ac singula referantur, paucis exquisiverimus.

Perspicuum est autem ex superioribus, tres potissimum totius libri partes principales discerni oportere, quarum una maxime in dialecticis versatur, altera narrationem continet de mundi gubernatione pro varietate aetatum varia ac diversa, tertia denique in informando perfecto civitatis rectore ac depingendis vanis eius imitatoribus occupata est. Quae quidem partes qua ratione coagmentatae sint et quo vinculo inter se contineantur, ut omnia sibi constent et ad unum eundemque finem tendere videantur, id sic putamus tutissime exploratum iri, si primum de eo loco viderimus, qui sine controversia omnium gravissimus censendus est. Is vero quinam sit, neminem profecto fugiet, qui omnem disputationis rationem progressionemque accuratius lustraverit ac secum perpenderit. Etenim hac re diligentius deliberata protenus apparebit, summam operis maxime in rerum civilium expositione ac diiudicatione cerni, ac ne ea quidem, quae ad dialectica pertinent quaeque de variis mundi aetatibus narrantur, si summam rei spectes, aliorsum referri nisi ad quaestionem de vera et adulterata arte civili variisque eius vel simulatoribus vel possessoribus agitatam. Ex quo consequens est, ut scriptoris consilium in iis potissimum cerni existimandum sit, quae disputantur de rebus civilibus. Haec omnia autem quorsum denique pertineant, post eam, quam in superioribus dedimus, singularum rerum explicationem videmur verbis paucissimis declarare posse. Depinxit enim Plato formam ac speciem perfecti civitatum rectoris ac gubernatoris, quem eundem voluit esse philosophum. Cuius quidem imago quo redderetur illustrior, habita temporum suorum ratione, opposuit ei et veluti e regione collocavit quotidianos istos rerum publicarum administratores, qui vulgi opinione scientiae civilis laude ac virtute plurimum excellere existimabantur. Quocirca unum sapientem censet verum esse regem, verum principem, verum virum civilem, civitatemque eam, in qua talis vir reipublicae gubernacula teneat, longe optimam atque perfectissimam, quippe quae mentem atque rationem legibus omnibus potiorem habeat rerum suarum magistram et gubernatricem; illos autem qui vulgo artis civilis laude celebrabantur, nihil aliud esse vult nisi perfecti illius principis vanos quosdam imitatores eosque ab illius laude atque virtute tanto maiore intervallo remotos, quo magis in iis civitatibus, quibus

praefecti sint, neglectis rationis praeceptis, vis lubidinis et prava cupiditatum studia gliscere coeperint. Hoc igitur illud esse putamus, quod Plato in hoc opere ostendere potissimum ac demonstrare sibi proposuerit, nec ullo pacto iis assentimur, qui id maxime spectari iudicarunt, ut aut dialecticae artis quaedam exhiberetur institutio aut illi castigarentur ac reprehenderentur, qui vulgo in tractanda republica versabantur. Atque illam ipsam sententiam, quam diximus, quum philosophus praeclaro artificio summaque elegantia illustraverit, nostro quidem iudicio simul hoc consecutus est, ut redarguerentur voces eorum, qui philosophos, a republica alienos, vel maligne carperent et reprehenderent vel etiam prae aliis fastuose contemnerent ac despicerent. Quod quam conveniens iis fuerit temporibus, quibus librum litteris consignatum atque editum esse verisimile est, antea videmur satis demonstravisse. Haec igitur principalis est operis sententia, in cuius illustratione atque expositione reliqua omnia tanquam in cardine aliquo versantur. Cum hac ipsa igitur etiam conveniant necesse est, quae praeterea in hoc sermone disputantur. Nam alioquin profecto de eius maxima virtute actum fuerit. Et profecto conveniunt prorsus egregie. Cohaerent enim primum cum civilium rerum disputatione arctissime quae de varia mundi gubernatione et fortuna narrantur. Quae etsi prima specie aliorsum videntur pertinere, tamen sapientissime cum primario disputationis argumento nexa et coniugata sunt. Nam quo clarius appareat certiusque intelligatur, quantum ad civitatum salutem atque felicitatem referat, ut in iis regendis administrandisque mens et ratio valeat, quae omnia ad eius, quod optimum sit, normam et regulam exacta moderetur, illarum regimini atque fortunae tanquam e regione collocatur totius mundi exemplum, quippe in quo eadem naturae lex dominetur, quam in rebus publicis observare liceat. Itaque optima illa civitas, in qua unus sapiens imperium exercet, cum aevo mundi Saturnio comparatur, quo ob id ipsum, quod ratio divina per omnia viguerit, summa regnaverit beatitas; reliquae autem civitates, quae ex humanae naturae imbecillitate dicuntur duxisse originem, componuntur cum ea aetate, qua per totam rerum universitatem, ingruente vi materiae, cupiditatum impotentia et coecus amor sui a divinarum rerum communione aversus invaluerit et quum ubique tum etiam inter homines grassari coeperit. Quae si evidentius etiam explanandum sit quomodo cum primario operis argumento connexa sint, mentem et sententiam philosophi sic fere declaravisse iuvabit. Perfectus germanusque rerum publicarum gubernator unus est verus sapiens, isque in ea una reperietur civitate, in qua exculta atque perfecta sapientis ratio pro una atque summa lege valeat, sicuti divini rerum universitatis imperii praestantiam et virtutem credere fas est ea tantum mundi aetate eluxisse, qua cuncta divinae rationis imperio paruerint: qui autem in iis civitatibus publicis funguntur muneribus, in quibus nunc fere vivitur, ii, quoniam non ratione pro norma et regula agendi utuntur, sed ex legibus, illa multo inferioribus, et nunc sapientius nunc imprudentius scriptis, suam potestatem exercent, aut illis adeo contemtis mero arbitrio dominantur, fieri non potest ut veram rectamque artem civilem tenere existimandi sint; imo etiam civitates ipsae, quarum illi res administrant, tanto sunt deteriores atque miseriores, quo magis, gliscentibus partium studiis atque cupiditatibus, rationis iussa negliguntur atque contemnuntur; prorsus ut divinare licet etiam tota rerum universitate inde ab eo tempore factum esse, quo, rupto communi divini imperii vinculo, corporum vi ac potentia sese iactante petulantius, omnia atque singula tanquam sui iuris fieri concupiverint ideoque non amplius vitae divinae praesidiis munita in dies magis corporeae materiae lubidini indulserint. Ita igitur si haec inter se copulaveris, facile opinor senties, quam arcte omnia inter ipsa cohaereant, ut prorsus ad unam se rationem referre existimanda sint. Verum singulari artificio philosophus sic instituit, ut interposita illa narratione, simul aliud quid significaverit, quod et ipsum ad rem praesentem gravissimum censeri debet. Nam sicuti humanis civitatibus totius rerum universitatis exemplum proposuit, unde quid de sapienti illarum gubernatione statuendum sit cognoscatur; ita vicissim illarum cum rerum natura comparatione obscure videtur indicavisse, quid liceat divinare de temporum quasi orbibus illis et circuitibus, quibus antiquitatis testimonio et prudentissimorum hominum iudicio res divinae pariter atque humanae magnas subinde conversiones ac vicissitudines experiantur. Etenim vitam humanam Plato censuit tanquam repercussam quandam imaginem esse communis illius vitae, qua tota rerum natura

veget, ideoque ab illius rationibus de hac ipsa coniecturam capi posse certo sibi persuasit. Quae quidem sententia sicuti per se granditate atque sublimitate valde insignis est, ita etiam universae disputationi in hoc libro institutae eam affert gravitatis atque dignitatis commendationem, ut hinc demum sentire plane atque intelligere incipiamus, quaestionem agitari de re non ad humanam tantum vitam sed etiam ad omnem rerum universitatem longe maxima. Quod quis est quin videat cum iis, quae de rebus ad rempublicam pertinentibus disseruntur, ita convenire, ut iis non modo non adversetur verum etiam plurimum luminis afferre existimandum sit? Et hactenus quidem vidimus, earum certe libri partium, quae in considerandis divina et humana arte gubernatoria versantur, tantam esse necessitudinem et coniunctionem, ut altera cum altera aptissimo unitatis vinculo contineatur, utraque autem ad absolvendam consummandamque universae disputationis tractationem prorsus necessaria sit. Sequitur ut de tertia operis parte quaerendum sit, quam antea ostendimus praecipue pertinere ad dialectica. In qua recte aestimanda iudicandaque illud inprimis tenendum est, de quo identidem in superioribus monuimus, id agi in Politico, ut philosophus in ipsius vitae actione tanquam reipublicae gubernator constitutus informetur. Verus autem germanusque philosophus secundum Platonem idem est dialecticus, quippe quum dialecticae demum usu fieri queat, ut ad veri, boni, honesti vim naturamque cognoscendam perveniatur*). Quam sententiam ei tum quoque fuisse probatam, quum Politicum litteris consignavit, clarissime intelligitur ex eo, quod eam et in Sophista p. 253. C sqq. eleganter explicuit et in Parmenide ipsius disputatoris exemplo illustravit clarissime. Itaque eundem illum disputatorem, quem de philosopho perfecta rerum civilium scientia ornato disserentem fecit, prudenter talem instituit, qui dialecticam facultatem non mediocrem adeptus utique philosophi nomine dignus videatur: est enim idem etiam moderatus, veri amantissimus, eiusque exquirendi adeo studiosus, nihil ut intentatum relinquat, quo ad eius rei, de qua

*) V. De Republ. V. p. 480. VI. p. 511. VII. p. 534. B. C. conf. Phaedr. p. 265. D. 266. C. 270. DE. 273. E. Phileb. p. 15. D. 16. E. 17. A.

quaeritur, perspicientiam perveniatur. Quod quam accommodate ad primarium operis argumentum ita fictum sit, nemo erit quin ipse pro se facile animadvertat. Nam ita is, qui disputans inducitur, suo ipsius exemplo quodammodo indicat, qualem esse decent philosophum, qui sophistae eodem modo oppositus sit, quo verus ille perfectusque rerum publicarum rector et gubernator a vulgaribus civitatum procuratoribus differat. Apparet enim non alium esse nisi eum, qui veri reperiendi studio incensus etiam dialecticam facultatem sibi acquirere studeat, ideoque ad id, quod revera est, reperiendum ac diiudicandum omni studio auferatur. Quocirca in Politico dum philosophus ut perfectus civitatis gubernator instituitur, qui ab iis longissime diversus sit, qui in veris rebuspublicis communia curent negotia et publica munera obeant, ipso disputandi genere significatur, quatenus idem, siquidem disserendi subtilitate uti velit, qua sophistae superbire soleant, sophistae plane contrarius videri debeat. Quanquam philosophus tanquam dialecticus plene atque perfecte in Parmenide demum describitur. Iam vero talem disputatorem quod Plato nunc non Socratem suum, sed sapientem aliquem Eleaticum fecit, eius rei caussae plures possunt afferri. Primum enim reputandum est, hunc dialogum arctissima necessitudine cum Sophista et Parmenide contineri, in quibus libris cur disputatio ab Eleaticis instituatur, alio loco explicavimus. Deinde philosophus in memoriam temporum Megaricorum, quae ipsius animum atque mentem ad dialecticam subtilitatem advertissent et quantum secernendi pariter atque coniungendi solertia ad philosophandi virtutem valerent commonuissent, condere voluit monumenta, quae testimonium quoddam exhiberent grati erga eos animi, qui ipsum ad meliora quaerenda et investiganda non modo excitassent, verum etiam impulissent. Porro etiam id egit, ut quae a Megaricis praeclare essent inchoata nec sine laude suscepta, ea vel ad suam quandam legem adstringeret vel cum Socratica ac sua ipsius disserendi ratione conciliaret. Quamobrem hospitem Eleaticum sic fecit disserentem, ut non modo iis, quae suo more et consuetudine ratiocinatur et concludit, subinde prudentissima dialectices praecepta interponat, verum etiam denique imprudens ad Socraticam colloquendi disputandique rationem delabatur. Denique quum vellet philosophum ut

dialecticum e regione ponere sophistae dialectico acumine male abutenti, ne potuit quidem Socratem inducere disputantem, quippe qui ab isto disputandi genere omnino abhorruisset. Quamquam praeclaro sane invento qua ratione acuta ista ex arte disserendi ratio ad Socraticae dialecticae exemplum conformari emendarique vel posset vel deberet utique demonstravit. Atque ex his perspicuum erit, opinor, qua coniunctione et necessitudine etiam ea, quae more Megaricorum ex arte disputata esse iudicavimus, cum universi operis proposito et argumento contineantur. Sunt enim et ipsa eiusmodi, quae cum summa disputationis, praesertim si ex temporum rationibus aestimetur, arctissime cohaerere iudicari oporteat.

Ita igitur perventum tandem eo est, ut iam paucis verbis totius scriptionis rationem et consilium declarare liceat. Itaque Plato temporum rationibus invitatus, prudenter cum disputationibus in Theaeteto et Sophista institutis coniunxit philosophi tanquam unius veri germanique civitatum gubernatoris adumbrationem atque descriptionem. Quae quo redderetur perfectior, grandior, illustrior, eadem opera non modo falsos opinatosque rerum publicarum ductores illi opposuit taxavitque eas respublicas, quibus Graeci utebantur, verum etiam omnem de civitatum gubernatione disputationem retulit ad totam rerum universitatem, ut quemadmodum vitae humanae tanquam parti lux sua ex totius contemplatione affunderetur, ita vicissim ex partis cum toto comparatione, quid de universo divinare fas esset, tanquam coniectura quadam iudicaretur. Iam vero imaginem perfecti philosophi quum dupliciter vellet exhibere, vel constituti in publicae vitae actione, vel in subtili rerum gravissimarum contemplatione defixi sive dialectici, hoc quidem etsi in Parmenide demum fecit, quem librum Sophistae ex altera parte respondere voluit, tamen in Sophista pariter atque in Politico ipsa disputandi ratione non obscure significavit, philosophum in rerum contemplatione occupatum atque sophistae contrarium non esse alium quam qui ope artis dialecticae sapienter usurpatae recteque excultae ad veri rectique scientiam et cognitionem pervenire studeat. Quamobrem hospitem aliquem Eleaticum induxit disserentem, quem delectum et ipsum temporibus convenienter factum esse nullo modo dubitari potest.

CAP. VIII.

Additur admonitio de operibus Platonis, quorum semina quasi in Politico latent abscondita.

Absolvimus tandem quam suscepimus de Politici Platonici summa deque rerum in eo tractatarum argumento disputationem. Quam quod sic pertractavimus, ut praemissa dialogi enarratione et singulas sermonis partes et totum tanquam corpus describserimus; eo non iniuria nobis videmur hoc effecisse, ut nunc de rerum disputatarum ordine ac dispositione non videatur separatim dicendum esse. Sponte enim iam intelligetur, opinor, quibus locis quibusque caussis quidque positum sit et quaenam singularum partium sit coagmentatio. Quocirca sine mora licebit ad id aggredi, quod in superioribus significavimus ultimo loco breviter expositum iri. Quod etsi non est per se necessarium, tamen neutiquam supervacaneum fore putamus. Quemadmodum enim antea plurimum referre vidimus ad Politicum recte intelligendum aestimandumque, ut quo vinculo cum libris proxime ante ipsum a Platone scriptis coniunctus sit exploratum habeatur, sic item suam quandam habebit utilitatem, si quae opera ex eius tanquam stirpe postea temporis naturali incremento prodierint, probabiliter exquisiverimus.

Videmur autem non a vero aberrare, praeter Parmenidem, qui quomodo cum Politico cohaereat supra ostensum est, tres potissimum libros existimantes cum eo quasi quadam cognatione contineri, Civitatem, Timaeum, Leges, quorum operum sane nullum est, quod non tanquam radicibus suis in iis defixum haereat, quae in Politico sunt disputata. Quod quanquam copiosa rerum expositione demonstrari potest, tamen ne longi simus, brevi significavisse sufficiet, praesertim quum res vel sic satis clara et perspicua futura sit. Ut igitur verbis paucissimis absolvamus, videtur nobis de Politici cum tribus illis Platonis scriptis cognatione sic esse existimandum.

Exposuit philosophus in Civitate rationem civilem eamque theoreticam, quam vocant, sive idealem, quandoquidem ad optimi hominis imaginem, quam nullus unquam mortalium referat, optimae civitatis exemplum composuit, in qua qui regnent, eos vult perfectos esse sapientes. Quibus omnibus quis est

quin videat quae in Politico de perfecto viro civili eiusque imperii exercendi ratione deque optima republica disseruntur, tam plane respondere, ut hic amplissimi operis, quod philosophus postea molitus est, tanquam fundamenta iacta videantur? Proposuit Plato porro in Legum libris rationem civilem, quam recte practicam dixeris. Nam in his condidit civitatem superstructam quidem optimae illius fundamentis, sed tamen ab eadem plurimum diversam, quippe quae humanae naturae, qualis revera est, quantum fieri possit accommodata sit. Idcirco ipse superiorem illam civitatem divinis tantum hominibus convenire iudicavit; hanc autem accommodatam arbitratur hominibus, qui nunc sint, quamquam eam pro rerum conditione ceteris, quae reperiantur, meliorem esse voluit*). Idem prorsus in Politico sequutus est. Nam unam hic statuit perfectam civitatem, in qua perfectus sapiens regnat: ceteras civitates, quippe hominum imbecillitate ortas, ab ea perfectione multum abesse vult, ita tamen ut inter has ipsas una aliqua reliquis omnibus sit praestantior. Hanc igitur in Legum opere ita instituit, ut ad quam maximam evecta videatur perfectionis laudem atque virtutem. Timaeus denique quid aliud propositum habet, nisi hoc, ut universae naturae tradatur philosophia, unde quaenam homini cum universo cognatio sit et necessitudo intelligatur? Huius vero doctrinae vestigia manifesta in eo loco Politici expressa cernuntur, qui fabulam illam de universi temporibus continet, ut dubitari nemo possit, eum qui Timaeum scripserit, fere eadem de his rebus sensisse atque scriptorem Politici.

Ita igitur videmus horum operum omnium origines ex Politico potissimum declarari posse atque intelligi. Sed vicissim Politicum quoque putamus ex horum scriptorum comparatione aliquantum lucis recuperare, quandoquidem multa, quae in eo obscurius aut brevius sunt significata, ea exinde maxime declarari illustrarique possunt. Atque hanc ob caussam necessarium utique putavimus, hic paucis saltem de horum librorum cum Politico similitudine commonere, praesertim quum ea, quae in superioribus de temporibus disputavimus, quibus Politicum scriptum vel editum esse suspicari liceat, etiam harum rerum

*) Legg. V. p. 739. C—E.

observatione non mediocriter confirmari nobis penitus persuaserimus. Ac possemus hic sane longius progredi, atque docere, alios etiam libros esse, qui cum istis omnibus, quos philosophus eodem fere tempore quo Politicum scripsit, interiore quadam coniunctione ac necessitudine contineantur, ut et ipsi brevi post illos intervallo scripti videantur. Sed huius rei demonstratio quoniam non ad unum Politicum pertinet neque sine amplioris quaestionis ambagibus absolvi potest, ab hoc loco videtur esse aliena. Quocirca eam in aliud tempus differre satius duximus.

Atque his ita expositis tandem aliquando telam, quam exorsi sumus, pertexuisse videmur. Quod si, qua suscepimus voluntate, eodem successu operis peregisse iudicabimur, habebimus sane, cur nos maximum laboris exantlati praemium consecutos existimemus.

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

This book is due two weeks from the last date stamped below, and if not returned at or before that time a fine of five cents a day will be incurred.

88PV
LS3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010662162

043244480

88P.V
DS3

NOV. 15 1971 MAR 14 1935